

ÆSOPI
PHRYGIS

ET ALIORUM

FABULÆ SELECTÆ

PRO GRAMMATICÆ
TYRONIBUS.

Ex fabulis pueri discunt, quæ in vita
gerantur. *Philostr. in Imagin.*

ROMÆ MDCCLXXII.

Ex Typographia S. Michaelis ad Ripam ;
apud Paulum Junchi.

Superiorum permissu, & Privilegio.

J. C. M. D. R.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Typis meis prodeunt primo, amice Lector, elegantissimæ quædam Fabulæ, quas ex illustribus quibusdam, & magni nominis Viris decerpendas curavi, & inter plurimas seligendas, quæ facilitate sua & styli nitore usui esse possent puerulis, quibus rudibus adhuc & imperitis grammaticæ difficultates sunt explanandæ. Has vero, ut Adolescentum hujusmodi captui magis accomodarem, mihi proposui faciliores primo & nulla grammaticali involutas difficultate exponere, difficiliores deinde: ut pueri a facilioribus ad difficiliora quasi per gradus ascenderent. Quod me facile consecuturum putavi, si in aliquibus ex prioribus, nonnulla immutarentur; ita tamen, ut servata verborum & phrasium elegantia, variatam tantum Syntaxim invenires. Quod factum est, non ut eruditorum virorum improbetur locutio, sed ut adolescentum captui penitus inserviatur; ne grammaticæ difficultatibus, in vertendo de latino in vernaculum sermone, vel primo studiorum limine iidem deterreantur. Vale.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus Jordanus Patriarcha Antioch. Vicesgerens.

REIMPRIMATUR,

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magist.

DE CAPRO ET VULPE. 1

VUlpes & caper sitientes in quendam puteum descenderunt. Verùm post potum cum egressum conspiceret hircus, vulpes ei comiter ait. Bono sis animo; nam, quid saluti nostræ opus sit, probe animadverti. Si enim rectus stabis, ac pedibus anterioribus, cornibusque muro adhærebis, tuas ego scapulas, cornuaque conscendam; & cum egressa puteum fuero, te manu comprehendam, & desuper traham. Huic caper prompte deservivit. Vulpes vero, cum jam desiliisset, circa os putei capro illudebat. At dum caper illam incusat, quod sibi pacta haud servasset, ei facete vulpecula inquit: Si tantum sensum haberes in mente, quantas setas habes in mento, non descendisses in puteum, antequam egressum vidisses.

Fabula significat, quod homines consilio præditi rerum fines prius inspiciunt, quam dent operam rebus suis.

DE AGRICOLA ET FILIIS. 2

COmplures habebat agricola filios adolescentulos; iique inter se discordes fuere: Ut illos ad mutuum amorem tra-

heret pater attulit bene colligatum virgarum fasciculum, ut singuli caperent, atque confringerent. Illi autem nequidquam conantur. Tunc pater fasciculum solvit, & singulis singulas virgas dedit, quas statim & facile fregerunt. Ita quidem, & vos, inquit, o filioli mei, si unanimes perstiteritis, inexpugnabiles vos hostibus, invictosque præbebitis: sin minus, vestra ipsa æmulatio, atque seditio opportunam vos prædam inimicis faciet.

Fabula significat, quod fortior est unio, quam seditio, quæ est imbecillis.

DE DUOBUS ADOLESCENTIBUS. 3

Duo adolescentes obsonium a coquo communiter mercati sunt. Cæterum cum coquus quibusdam negotiis domesticis intenderet, vacaretque, alter adolescentum partem obsonii in alterius manus immisit. Coquus surreptam ut sibi carnis partem vidit, furti utrumque insimulavit. Uterque jurabat. Qui accepit, affirmabat, quod non habebat; & qui habebat, quod non acceperat. Percepit coquus juvenum dolum. Ego quidem, inquit, fallor a vobis, sed non is fallitur, per quem jurastis.

Fabula innuit, quod si quid homines celamus, Deum nequaquam possumus celare, qui solus omnia prospicit & omnia videt.

DE

DE ARUNDINE ET OLEA. 4

DIsceptabant aliquando arundo, & olea de constantia & fortitudine & de firmitate. Et olea quidem arundini probra ingerebat, utpote quæ fragilis ad omnem ventum vacillaret. Arundo autem obticebat, & expectabat tempus. Nam cum ventus deinde vehemens ingruisset, arundo reflectebatur, agitabaturque. Olea vero, cum vehementiæ ventorum reluctaretur, contracta est.

Qui fortioribus cedunt, iis, qui non cedunt, aliquando sunt potiores.

DE TUBICINE. 5

ERat Tubicen quidam, qui signum in militia caneret. Is cum interceptus esset ab hostibus, ad eos, qui circumsistebant, proclamabat. Non me, viri, innocentem, innocuum, insontemque perimatis; nullum enim unquam occidi: quippe hanc tantum buccinam habeo. Ad quem illi vicissim cum clamore responderunt: Tu vero magis trucidaberis, quod cum ipse non dimices, cæteros ad certamen impellis.

Hæc fabula innuit, quod magis peccant, qui primi ad scelera alios impellunt.

DE ASINO ET LUPO. 6

CUm Asinus ligni aculeum calcasset, claudicabat. Videt Lupum, &, o Lupe, ait, en præ cruciatu morior, & ero esca, aut tua, aut vulturum, aut corvorum. Unum modo munus abs te flagito; extrahe prius ex pede aculeum, ut saltem sine cruciatu moriar. Tunc Lupus summis dentibus aculeum mordicus deprehendit, & eduxit. Asinus vero oblitus est doloris sui, & ferratos calces in faciem Lupi impegit, fregitque illius frontem, nares, dentes, & deinde aufugit. Seipsum accusavit Lupus, quod merito hoc sibi evenisset. Nam cum esset lanio jumentorum, volebat eorum esse chirurgus.

Hæc fabula innuit, quod, qui sua artificia deserunt, & se transferunt ad aliena ipsis non apta, veniunt in derisum & indiscrimen.

DE ASINO ET EQUO. 7

VIr quidam habebat Equum & Asinum. In itinere inquit Asinus Equo. Si me salvum vis, leva me parte oneris mei. Negat Equus; & Asinus sub onere cadit, & moritur. Tunc dominus jumentorum omnes, quas portabat Asinus sarcinas, simulque corium, quod a mortuo exuerat; Equo imponit. Quo onere cum Equus opprimeretur, cum clamore inquit: Væ

mihi

mihi jumentorum infelicissimo; quid mihi misero evenit? recusavi partem, nunc totum onus porto, & illius corium.

Hæc fabula docet majores, ut in laboribus participes sint minoribus, & utrique erunt incolumes.

DE FILIO ET MATRE. 8

PUer quidam in schola furatus fuit tabellam alphabetariam, & attulit Matri suæ, a qua non castigatus quotidie magis furabatur. Processu vero temporis majora cœpit furari. Tandem a Magistratu comprehensus fuit, & morte damnatus. Dum autem ducebatur ad supplicium, Mater sequebatur, & vociferabatur; Filius vero satellites rogavit, ut permitterent cum ea paulisper ad aurem loqui. Annuerunt illi; Mater ad os Filii aurem admovit. Filius maternam auriculam dentibus arripuit, arreptam evulsit. Et cum Mater, cæterique increparent non modo ut furem, sed etiam ut in genitricem suam impium, inquit: Hæc mihi, ut perderer, extitit caussa. Si enim me ob tabellam alphabetariam castigasset, nequaquam ad ulteriora progressus fuissem, nec ad supplicium nunc ducerer.

Fabula innuit, quod qui inter initia peccandi non coercetur, ad graviora flagitia evadit.

DE FILIO ET PATRE. 9

FIlium quidam senior habebat generosi animi, & venaticorum canum amatorem. Somnians quondam vidit hunc a Leone trucidatum. Territus igitur, ne forte somnium hoc aliquando sequeretur eventus, extruxit domum quandam politissimam, laquearibus, ac fenestris amœnissimam; illucque induxit Filium, cui etiam custos inhærebat. Depinxerat enim in ea domo ob delectationem filii omne genus animalium, inter quæ etiam Leonem. Adolescens dum hæc inspiciebat, molestiam contrahebat. Cum autem propius Leoni staret: O truculentissima fera, inquit, te propter, & propter inane somnium patris in hac domo asservor, velut in carcere. Quid igitur faciam? hæc dixit, & manum parieti incussit, ut oculum Leoni erueret, & in clavum, qui illic latebat, offendit: qua ex offensione, manus emarcuit, subcrevitque sanies, & febris subsecuta est. Brevi adolescens est mortuus. Ita Leo adolescentem occidit, & nihil adjuvit patris sophisma.

Hac fabula docemur, non evitari ea, quæ sunt ventura.

DE CALVO QUODAM. 10

CAlvus quidam mentitos crines gerebat, dum equo vehebatur. Ecce ventus turbinis illos de capite sustulit; risus statim magni præsentibus excitantur. Et ille mutuo risu ad eos inquit: Quid mirum si crines, qui non erant mei, a me recesserint? Illi quoque recesserunt, qui mecum fuerant nati.

Hac fabula erudimur, non posse nobiscum perpetuo permanere, quod nascentes a natura non accepimus.

DE LEONE ET URSO. 11

LEo & Ursus cum magnum hinnulum nacti essent, de eo pugnabant, & graviter se ipsos ita affecerunt, ut defatigati jacerent. Vulpes autem ubi prostratos vidit una cum hinnulo per utrosque percucurrit, illumque rapuit, & fugiens abivit. At illi videbant quidem ipsam: sed quia non poterant surgere, nos miseros! dicebant, quia Vulpi laboravimus.

Fabula significat, quod dum alii laborant, alii lucrantur.

DE AVARO. 12

AVarus quidam cum omnia bona sua vendidisset; & auream glebam fecisset, in loco quodam infodit, & una de-

fodit illic animum suum, & mentem, & quotidie ibat, ut ipsam videret. Id autem fur quidam observavit, notavit locum, refossam glebam abstulit. Post hæc profectus Dominus, ut vacuum vidit locum, cœpit lugere, & capillos evellere. Hunc quidam vidit dum plorabat, & ut caussam audivit: O tu, ait, ne sic tristare; neque enim possidebas aurum, quod habebas. Lapidem igitur pro auro acceptum recondε, & puta, quod sit aurum; eundem enim tibi usum præstabit: nam, ut video, neque cum aurum erat, utebare.

Fabula innuit, quod frustra possidemus ea, quibus non utimur.

DE AQUILA ET TESTUDINE. 13

Testudo ægreferebat in locis humidis, & convallibus assidue commorari. Aquilam rogavit, ut se in altum tolleret; audierat enim, quod illa tam alte volaret, ut maximos terrarum tractus longe, & late prospiceret; unde & ipsa montes, & valles, campos, & æquor eodem temporis momento intueretur. Quod cum Aquila prompte fecisset, eam ex alto demisit, quæ in petras cecidit, & contrita est.

Fabula monet, ne quis se altius extollat, quam ejus conditio, aut natura patitur.

DE

DE CERVA ET VITE. 14

DUm cerva venatores fugiebat sub vite delituit. Cum præteriissent autem parumper illi, credidit se occultam, & vitis folia pascebatur. Conversi venatores frondes agitatas viderunt, & arbitrati sunt, quod erat verum, scilicet, quod animal aliquod sub foliis occultaretur, & sagittis confecerunt cervam. Hæc autem moriens inquit: justa passa sum, inique enim illam offendi, quæ me servarat.

Fabula innuit, quod Deus punit illos, qui injuria benefactores afficiunt.

DE LEONE ET LUPO. 15

LEo cum consenuisset jacebat ægrotus in antro. Accesserunt autem ut visitarent regem, præter Vulpem, cætera animalia. Cepit occasionem Lupus, ut accusaret apud Leonem vulpem, quasi nihili faceret suum & omnium dominum, & propterea neque ad visitationem profecta esset. Leo igitur contra eam infremuit. Petit illa defensionis tempus, & deinde ait. Et quis eorum, qui convenerunt, tibi profuit, quantum ego, quæ in omnem partem circuivi, & medicamentum pro te a medico quæsivi & didici? Cum autem Leo statim, ut medicamentum diceret, imperasset, illa inquit: Si Lupum vivum excoriaveris, & ip-

ipsius calidam pellem indueris. Lupum itaque excoriatum sic Vulpes irrisit: Quanto melius Dominum ad benevolentiam, quam ad malevolentiam movisses!

Fabula monet, quis in alios machinetur laqueos, quos plerunque vertit in se ipsum.

DE ÆTHIOPE. 16

ÆThiopem quidam emit, & credidit, quod talis color illum obduxisset negligentia ejus, qui prius habuit. Vix igitur assumpsit in domum, omnes ei adhibuit abstersiones. Omnibus lavacris mundare tentavit, & colorem quidem transinutare non potuit, sed morbum dolor paravit.

Fabula monemur, quod natura manet, ut a principio provenit.

DE GALLO ET FURIBUS. 17

INgressi in domum quandam fures, nihil invenerunt nisi gallum: hunc arripuerunt, & abierunt. Dum autem mortem illi parabant, rogabat, ut se dimitterent, quod esset hominibus utilis, & eos ad opera excitaret. Hi vero dixerunt. Sed propter hoc te tanto magis occidimus: cum enim illos excitas, furari nos non sinis.

Fabula significat, quod pravis maxime sunt adversa, quae bonis sunt beneficio.

DE

DE ASINO ET VULPE. 18

ASinus & Vulpes inierunt societatem, & ad venationem exiverunt. Occurrit ipsis Leo. Ut Vulpes imminens periculum vidit profecta est ad Leonem, ut traderet illi Asinum, si impunitatem impetrasset. Impunitatem pollicitus est Leo, & illa adduxit Asinum & in casses quosdam ut incideret, fecit. Vidit tunc ferus, quod Asinus fugere minime poterat, propterea primam Vulpem comprehendit, deinde Asinum laceravit.

Fabula monet, eos, qui sociis insidiantur, sæpe & se ipsos perdere.

DE COLUMBA. 19

COlumba siti correpta, ut vidit quodam in loco poculum aquæ depictum, rata fuit verum, & tanto impetu in illud volavit, ut inscia in tabulam offenderit, usque adeo, ut & pennæ perstringerentur, & in terram decideret. Statim a quodam, qui forte occurrit, capta fuit.

Fabula significat, quod homines, qui ob vehementes alacritates inconsulto res aggrediuntur, sese in perniciem iniiciunt.

DE BUBULCO. 20

BUbulcus dum taurorum armentum pascebat, amisit vitulum. Lustravit omnem

nem solitudinem. Ubi invenire nihil potuit, prec atus est Jovem, ut furem, qui vitulum cepit, ostenderet: Si ostendisset, promisit, se hædum in sacrificium oblaturum. Cæterum cum profectus esset in quercetum quoddam, invenit leonem, qui vitulum devorabat. Trepidus igitur, & perterrefactus, elevavit manus suas & ait: O Domine Juppiter promiseram tibi hædum, si furem invenirem; nunc taurum tibi sacrificabo, si hujus manus effugero.

Fabula est in homines infortunatos, qui dum quidpiam amiserint, precantur, ut inveniant; cum invenerint, quærunt effugere.

DE CANE DOMINI FILIUM OCCIDENTE. 21

VIr quidam venationi mirifice deditus complures canes alebat, quorum unus filium domini morsu interfecit. Dominus ira percitus, non solum homicidam, verum etiam omnes alios jussit occidi. Tunc ait unus ex eis: Unus peccavit; & cuncti plectimur.

Fabula indicat, quod unius malignitas sæpe obest multis.

DE LEONE. 22

CUm ove, & quibusdam aliis pepigerat Leo, quod venantes simul communiter

ve-

venationem partirentur. Venantur igitur. Capitur cervus, in partes dividitur. Dum vero singuli singulas partes suas tollebant, rugiit Leo: una, iniquit, pars mea est, quia sum dignissimus: altera itidem mea, quia sum præstantissimus: porro, quia in venatione plus sudaverim, reliquum debetur mihi.

Qui cum potentiore init societatem, necesse est, ut sæpe de suo jure cedat.

DE VULPE SINE CAUDA. 23

VUlpes, ut e laqueo evaderet, abscidit caudam. Cum vero e pudore vitam sibi mortem putaret, excogitavit dolo inducere alias Vulpem, ut idem facerent; ut sub communis commodi specie sibi singulæ caudam abscinderent, & sic suum dedecus levaret. Itaque ad unam Vulpes congregavit, suasitque, ut caudam sibi abscindant, quia non modo dedecori Vulpibus esset, sed oneri gravi, atque inepto. E Vulpibus una ei facete respondit: heus soror! si res ista tibi soli conducit, tum itidem aliis consulere haud est æquum.

Hæc fabula ad eos spectat, qui sub Charitatis specie consulunt aliis, ut suum commodum prospiciant.

DE

DE RUBO ET VULPE. 24

VUlpes cum sepem quandam ascenderet ut periculum vitaret, quod sibi im minere videbat. Rubum manibus comprehendit, atque volam sentibus perfodit. Et cum graviter saucia foret, gemens inquit ad Rubum: Ut me juvares, cum ad te confugerim, tu deterius me perdidisti. Cui Rubus: errasti, Vulpes, ait, quæ pari dolo me capere putasti, quo cætera capere consuevisti.

Stultum est implorare auxilium ab iis, quibus a natura datum est, ut obsint potius, quam aliis prosint.

DE HOMINE ET LIGNEO DEO 25

HOmo quidam Deum ligneum domi habebat, eumque orabat, ut boni quippiam sibi tribueret. Sed quanto magis orabat, eo res domestica angustior erat. Demum ille concitus ira Deum cruribus cepit, & caput parieti percussit, totumque contregit; at ex contracto capite multum auri exiliit: quod homo dum colligebat, perversus nimium es, inquit, atque perfidus, qui dum in honore te habui, nihil profuisti; percussus vero, ac verberatus boni plurimum contulisti.

Fabula significat, quod homo nequam, si quando prodest, id efficit vi coactus.

DE

DE AQUILA ET HOMINE. 26

AQuilam homo quidam cum cepisset, pennas alarum ipsi evulsit, & inter gallinas dimisit. Eam deinde quidam mercatus fuit, & pennis alas denuo munivit: Cum igitur volaret, leporem cepit, tulitque illum benefactori suo. Hanc rem conspexit Vulpes & homini ait: noli hanc Aquilam sicuti prius hospitio habere: ne ceu leporem te æque venetur. Tum homo Aquilæ item pennas evulsit.

Fabula docet, quod benefacientes debemus remunerari, improbos vero omni studio vitare.

DE VIRO AGRICOLA. 27

HOmo quidam Agricultor cum finem vitæ sibi adesse cognosceret, cuperetque, ut Filii in agrorum cultu fierent periti, eos vocavit; Atque, Filii, inquit, ego e vita discedo: Bona mea in vinea condita sunt omnia. Illi post Patris obitum putarunt, in vinea thesaurum verum reperire. Assumunt ligones, marras, ac bidentes, & vineam funditus effodiunt, & tamen nullum thesaurum inveniunt. Verum enim vinea, cum probe effossa esset, longe plus solito fructus produxit, atque illos divites fecit.

Fabula significat, quod labor assiduus thesaurum parit.

DE

DE GALLINA ET MULIERE. 28

VIdua quædam Mulier habebat Gallinam, quæ die quolibet pariebat ovum. Putavit mulier more ingenii humani, quod sitis lucri semper sollicitat, quod Gallina illa die bis peperisset, si plus spelta traderet ei solito. At Gallina alimonia pinguior facta, id unum desiit parere ovum. Sic Mulier, ex quo majus lucrum quæritabat; totum cæca lucri cupiditate amisit.

Fabula significat, quod nimia cupiditate rerum, præsens quandoque deperditur quæstus.

DE DUOBUS INIMICIS. 29

DUo quidam gladiatorio animo inter se inimicitias habebant, & una in navi navigabant. Et cum alter eodem in loco stare cum altero non pateretur, unus in puppi, alter in prora sedebat. Oritur autem tempestas, & cum navis periclitaretur, qui in prora sedebat rogat navis gubernatorem, quæ pars navis submergi prius deberet, & cum gubernator puppim dixisset, ait ille: mors mihi modo molesta minime est, si inimicum meum prius mori perspicio.

Fabula significat, quod inimicus, ut inimicum perdat, se ipsum perdere sæpius eligit.

DE

DE CATO ET MURIBUS. 30

CAtus accessit domum, in qua perplures esse Mures præsensit, & nunc unum, nunc alium capiens interimebat, comedebatque. Mures vero cum perciperent, quod in dies consumerentur, convenerunt simul, & statuerunt, ne quis in posterum inferius descenderet, ne perderetur, sed superius maneret, quo Catus ascendere non posset. Catus vero Murium consilium percepit, simulavitque se mortuum, & posterioribus pedibus se ad palum suspendit, qui fixus parieti erat. De muribus quidam deorsum acute prospexit, & ut Catum esse cognovit, haud infacete ait: Heus amice, etsi te follem putarem, deorsum minime descenderem.

Fabula significat, quod vir prudens semel si fallitur, fictis & simulatis hominibus non amplius fidit.

DE SIMIA ET VULPE. 31

APud brutorum animalium concilium Simia ita apposite salutavit, quod omnium fere consensu rex statim fuit creatus. Ei invidit Vulpes, & ut vidit carnes laqueo in fovea appositas, illuc Simiam duxit; & inquit ad illam: Hic thesaurus absconditus est, qui ex lege spectat ad Reges. Quare cum tuus ex lege sit, tute

ipse

ipse capias illum. Simia Vulpis suasu illuc temere accessit. Ut vero se laqueo captam sensit, Vulpem acriter accusat, quod dolose deceperat; & Vulpes haud illepide ait: heu stulta, quæ, cum fortuna te extulisset, dominari cæteris jam te putabas dignam.

Fabula significat, quod qui temere aliquid aggreditur, temere in adversa incidit.

DE CERVO ET LEONE. 32

CErvus vehementi siti cum vexaretur ad fontem proficiscitur, dumque potat, suam in aqua prospicit umbram, & valde lætatus est magnitudine cornuum, & ramositate. Deinde, ut pedes, & crura prospexit, nimium tristatus est. Hæc dum animo vertit, ecce Leo apparet, & Cervum persequitur. Cervus fugam arripit, & Leonem per campos longe anteibat. Dicunt enim Cervorum vires maximas esse in cursu, & Leonis robur in animo. Quousque igitur Leo per campos secutus est Cervum, eum assequi non potuit. Casu vero Cervus nemus intravit, ubi cornua ad ramos implicuit, & cum fugere non posset, captus fuit a Leone, a quo dum dilaceratus moritur: Heu me miserum! inquit, qui cornibus gavisus ipsis cornibus pereo.

Fa-

Fabula significat, quod quæ nobis putamus bona, ea nobis sæpius obsunt.

DE CORVO ET JOVE. 33

JUppiter volatilibus regem creare voluit, & diem concilii avibus indixit, ut, qui speciosior esset, rex sibi constitueretur. Hanc rem præsensit Corvus, & suæ deformitatis conscius, aliorum pennas hinc inde colligit, se decoravit, & speciosissimum omnium se reddidit. Adest dies præfinitus; veniunt ad concilium aves. Corvum Juppiter ob pulchritudinem, cum regem creare vellet, indigne tulerunt aves, & unaquæque suas a Corvo extraxit pennas. At Corvus alienis pennis cum esset exutus, Corvus ut erat, demum remansit.

Fabula significat, quod qui rebus pendet alienis, si amittat, quisnam ille sit, cuique liquido patet.

DE CANE ET FABRO. 34

FAber quidam catulum habebat, qui dum ipse ferrum cuderet, continue dormiebat. Cum vero manducabat, Canis statim surgebat. Quam rem, ut animadvertit Faber, ait ad Canem: Heus miser, quid faciam nescio, qui dum ferrum cudo, continue dormis, & segnitia teneris; Rursus cum dentes moveo, statim surgis, & cauda mihi applaudis. Fa-

Fabula significat, quod socordes, & somnolentos, qui ex aliorum vivunt laboribus, gravi debemus coercere censura.

DE MULA: 35

MUla quædam nimio hordeo pinguis effecta, nimia pinguedine lascieviebat. Secum inquit: Pater mihi Equus fuit, qui cursu celerrimus erat, & ego ei per omnia sum similis: Paulo post contigit, quod oportuit Mulam, quantum potuit, currere, sed cum cursu cessavit: Heu me miseram! inquit, qui Equi filiam esse putabam, at nunc memini, habuisse patrem Asinum.

Fabula significat, quod stulti in prosperis se ipsos dediscunt, sed in adversis suos persæpe recognoscunt errores.

DE AUCUPE. 36

AUceps insidias avibus calamis, viscoque tetendit, & Turdum, qui in arboris ramo desuper canebat, aspexit. Dum vero prædæ intentus ambulabat, pede altero Viperam calcavit, & ab ea morsus, cum jamjam ob venenum deficeret; Heu me miserum! ingemuit, qui dum alium capere festino, alter ad mortem me est aucupatus.

Fabula significat. quod, quæ contra alios facere nitimur, ea persæpe ab alio patimur nosi.

DE

DE PUERO OVES PASCENTE. 37

PUer cumOves eminentiori in loco depasceret, sæpius clamabat : Heus o! a Lupis mihi succurrite. Qui circum aderant agrorum cultores, cultum omittebant, illique occurrebant; ut vero comperiebant nihil esse, ad opera sua redibant. Cum pluries Puer id joci caussa fecisset, ecce cum Lupus pro certo adesset, Puer, ut sibi succurreretur, serio clamabat. At agricolæ verum id non esse putarunt, & cum minime occurrerent, Lupus Oves facile perdidit.

Fabula significat, quod qui cognoscitur mentiri, ei veritas postea non creditur.

DE CORVO ET VULPE. 38

COrvus, cum carnium frustum rapuisset, arborem quamdam superſedit. Cum eum Vulpes suspexisset, & eas sibi carnes cupiisset, illum arte aggreditur. Stetit sub arbore, & corvum laudare occæpit. O quam magna avis est hæc, dicebat, quam speciosa, quam venatrix, quam formosa! hanc decuit esse avium regem. Nam omnia regia super alias sibi sunt aves, si modò vocem haberet. His laudibus Corvus inflatus haud valens pati, quod mutus ulterius diceretur, dum magna voce crocizat, carnes humi decidunt. Illas cum Vulpes ar-

ripuisset, conversa inquit ad Corvum ; Heus corve omnia decora tenes , modo mente haud careres .

Fabula significat , quod, qui adulatoribus nimium credunt , hi, quæ non putant , in adversa sæpius incidunt .

DE LEONE ET TAURO . 39

LEo ingentem Taurum per insidias cum secutus esset , ubi prope accessit, eum vocavit ad cœnam & inquit : amice ovem occidi ; hodie mecum , si placet, cœnabis . Taurus Leoni morem gessit . Ut discubuerunt , cum multos lebetes , necnon magnos & plures discos paratos conspiceret , ovem autem nullam videret , subito abiit . Leo autem, cur abiret , rogavit . Ei Taurus haud inurbane respondit . Non de nihilo equidem abeo; cum instrumenta videam esse parata , non ut ovem , sed ut Taurum coquas .

Fabula significat , quod homines prudentes facile improborum artes detegunt .

DE GRUE ET LUPO . 40

LUpo in gutture os adhæsit , & moleste cruciabat . Grui pretium obtulit , si illud e gutture extraheret . Grus rostro cum os e gutture extraxisset , pretium sibi promissum expostulavit . Ei Lupus subrisit, simul-

ſimulque dentes acuit, & ait: Satis pretii tibi eſſe debet, quod ex Lupi ore caput ſine læſione eduxeris.

Fabula ſignificat, quod apud improbos gratitudo non parva habetur, ſi pro obſequio quis detrimentum non recipit.

DE COLUMBA ET FORMICA. 41

FOrmica ſitiens in fontem deſcendit, ubi dum bibere vult, in aquam cecidit. Columba quædam arborem imminentem fonti ſuperſedebat, & cum Formicam aquis obrui conſpiceret, ramulum ex arbore roſtro continuo frangit, ac ſine mora deiicit in Fontem. Ad quem Formica ſe applicavit & ex aquis in tutum ſe recepit. Obiter auceps quidam advenit, & ut Columbam venaretur calamos erexit. Formica id percepit, & pedem alterum momordit aucupi; eo dolore auceps concitus calamos demiſit; quorum ſtrepitu columba territa ex arbore aufugit, vitæque periculum evaſit.

Fabula ſignificat, quod cum bruta in beneficos grata ſint, eo magis eſſe debent, qui participes ſunt rationis.

DE ASINO ET JOVE. 42

ASinus olitori cui dam ſerviebat, & cum parum comederet, & multum laboraret, Jovem exoravit, ut dominum ſibi

mutaret. Itaque Juppiter mandat, ut figulo veneat. Apud quem cum laboraret magis, quod lutum, lateres, tegulas, & hujusmodi portaret, Jovem precatur, ut alii deserviat domino. Juppiter iterum mandat, ut coriario venundetur, cui dum asinus multo cum labore, & pauco cibo serviebat: Heu me miserum! cum gemitu ait, qui dominos omittens meliores, ad deteriorem perveni, apud quem, ut video, corium meum etiam post mortem cruciabitur?

Fabula significat, quod priores dominos servi desiderant, cum deteriores experiuntur.

DE ASINO ET EQUO. 43

Asinus cum equum alimonia. & ocio, diligenti cura abundare perspiceret, eum longe beatum esse commendabat, seque nimium infelicem dicebat, qui cum multum laboraret, ad saturitatem de paleis haud haberet. Cum tempus belli advenit, miles armatus equum conscendit, ac cum medios decurrit in hostes, equus mucrone percussus, cadit humi prostratus. Quem asinus ut prospexit, ingemuit, ejusque misertus est, suique animi sententiam mutavit.

Fabula significat, quod longe melius est paupertatem pati, quam locupletioribus invidere.

DE

DE LEPORE ET TESTUDINE. 44

TEstudo, cum ejus pedes lepus derideret, subridens inquit ad eum. Si periculum in cursu feceris, quod, quam tu, velocior sim, liquido cognosces. Cui lepus ait: nescis profecto, quid mei valeant pedes; sed judicem eligamus, qui cursum & terminum nobis definiat. Igitur eligunt vulpem brutorum omnium sagacissimam, quæ ut locum, & cursus terminum constituit; testudo absque segnitie, & negligentia iter arripuit, nec quievit, donec ad terminum pervenit. Lepus vero, utpote qui pedibus fidebat, ubi paululum quievit, somno excitatus, quantum pedes valuerunt, ad terminum cucurrit, ibique cum testudinem quiescentem reperisset, se cum rubore fatetur a testudine superatum.

Fabula significat, quod studio & diligentia, non corporis viribus, res vel maximæ conficiuntur.

DE PULICE. 45

PVlex cum quendam morsu aliquando stimulasset, & captus rogaretur, quisnam esset, qui membra sibi depasceret, respondit, quod ex eo animalium genere erat, quibus a natura datum esset, ut eo pacto vitam vivant, nec eum occidere velit,

cum multum mali facere ipse sibi nequeat. At homo ille subridens inquit ad eam: Eo magis meis necaberis manibus, quoniam nec multum, nec parum quempiam lædere licet.

Fabula significat, quod malorum, licet parum, aut multum delinquant, misereri haud oportet.

DE CICADA ET FORMICIS. 46

HIemis erat medium, cum formicæ sparsim triticum apricabant. Aspexit cicada, quæ inedia conficiebatur; Ad eas accessit, & triticum pro alimonia, ut sibi concederent, oravit. Et cum formicæ eam rogarent, quidnam æstate fecerit, num segnis, & ociosa eo tempore steterit, illis cicada ait; Neque segnis, aut ociosa steti, sed cantu cecini, quo laborem viæ viatoribus levabam. Cum risu dixerunt formicæ: Si æstate cecinisti, ut viatores delectares, nunc salta, ne frigore conficiaris.

Fabula significat, quod qui res suas tempore suo non conficit, is in angustias, quando non putat, incidit.

DE FELE ET VULPE. 47

CUm aliquando Vulpes in colloquio, quod illi erat cum Fele, jactaret, sibi varias esse technas, ita ut vel peram ha-

be-

beret dolis refertam. Feles autem responderet, sibi unicam duntaxat artem esse, cui fideret, si quid esset discriminis: Ecce repente canum tumultus, & latratus auditur. Ibi Feles in altissimam arborem subsilit, cum Vulpes interim a canum agmine cincta capitur.

Innuit fabula, præstabilius esse nonnunquam unicum consilium, dummodo id verum sit, & efficax, quam plures dolos, consiliaque frivola.

DE MURE. 48

Mus in cista natus, omnem fere ibi duxerat ætatem, & pascebatur nucibus, quæ in ea servabantur. Dum autem circa oras cistæ ludere didicisset, quæreretque ascensum, reperit epulas lautissime paratas: Quas cum gustare cœpisset; quam stultus, inquit, hactenus fui, qui toto in terrarum orbe nihil melius cistula mea esse credebam. Ecce quam suavioribus vescor hic cibis.

Hæc fabula monet, ne tanti faciamus Patriam, si ignobilis sit, cum alibi beatiores esse possimus.

DE ARANEA ET HIRUNDINE. 49

Aranea in Hirundinem excanduit, quæ muscas, qui suus est cibus, capiebat,

Retia igitur in foribus, per quas volitare solebat, ut eam caperet, suspendit. Hirundo vero advolans retia cum textrice per aera portabat. Tunc aranea in aere pendens, & morti jam proxima, quam juste hæc patior, inquit, cum minima volatilia vix capiam, credidi tam magnas aves posse comprehendere.

Hac admonemur fabula, ne viribus majora aggrediamur.

DE CAPONIBUS. 50

Vir quidam complures capones in eodem ornithone inclusos largo nutricaverat cibo; qui pingues effecti sunt omnes, præter unum, quem, ut macilentum, irridebant fratres. Dominus cum nobiles hospites lauto, & sumptuoso accepisset convivio, imperat coquo, ut ex his interimat, coquatque, quos pinguiores invenerit. Hoc audierunt corpulenti, & sese affligtabant, dicentes: Quanto præstitisset, si essemus macilenti.

Fabula hæc in pauperum solamen conficta est, quorum vita tutior est, quam divitum.

DE BOBUS ET TRABE. 51

Trabs ulmea de bobus conquerebatur, dicebatque: ingrati! ego multo tempore meis vos frondibus alui, vos vero me nu-

nutricem vestram per saxa, & lutum trahitis. Cui boves gemitus suspiriaque nostra, & stimulus, quo pungimur, te docere possunt, quod te trahamus inviti. Ignovit trabs.

Hæc nos docet fabula, ne in eos excandescamus, qui non sua sponte nos lædunt.

DE ARBORIBUS. 52

ARbores complures in eodem creverant loco proceræ, rectæ, enodesque, præter unam humilem, parvam, nodosamque, quam, ut deformem, pusillamque, cæteræ ludibrio habere solitæ erant. Loci Dominus, ut ædificaret domum, jubet, ut omnes excidantur, præter eam, quæ brevitate, & deformitate sua ædificium indecorum reddidisset. Postquam excisæ fuerunt cæteræ, deformis hæc secum dicebat: De te non amplius querar, natura, quod me turpem genueris, cum formosis tam magna videam imminere discrimina.

Hac fabula nos admonet, ne de nostra doleamus deformitate, cum multis formositas sæpe nocuerit.

DE MURE ET RUSTICO. 53

RUsticus quidam erat admodum pauper, sed adeo facetus, ut ne calamitatis quidem tempore nativi leporis obli-

viſceretur. Is cum villam ſuam caſu igne injecto ita ardentem videret, ut aliquo modo ignem extinguere poſſe diffideret, mœſtus ſpectabat incendium. Interim cernit murem quemdam, qui villa egreſſus, periculum quam ocyſſime fugiebat. Oblitus damnorum ruſticus cucurrit, & murem corripiens, illum in medium jecit incendium, dicens: Ingratum animal tempore felicitatis mecum habitaſti, nunc quia fortuna mutata eſt, villam meam deſeruiſti.

Fabula indicat, quod ii non ſunt veri amici, qui, cum arridet fortuna, a latere non diſcedunt, cum vero turbatur, præcipiti abeunt curſu.

DE DIVITE QUODAM ET SERVO 54

Vir erat dives ſervum habens tardi ingenii, quem regem ſtultorum ſolebat nuncupare. Ille his verbis ſæpius irritatus, ſtatuit hero par referre. Semel enim in herum converſus: utinam, inquit, rex ſtultorum eſſem; in toto enim terrarum orbe nullum meo latius eſſet imperium, & tu quoque meo ſubeſſes imperio.

Fabula indicat, omnia plena eſſe ſtultorum.

DE CANIBUS URBANIS ET VILLATICO. 55

CAnes complures urbani quendam villaticum præcipiti insequebantur cursu, quamdiu ille fugit, nec repugnare ausus est. At ubi in sequentes conversus substitit, & dentes ipse quoque ostendere cœpit, omnes pariter substiterunt, nec aliquis urbanorum illi propinquare audebat. Tunc imperator exercitus, qui ibi aderat, ad suos conversus milites: Commilitones, inquit, hoc spectaculum nos admonet, ne fugiamus, cum præsentiora fugientibus, quam repugnantibus videamus imminere pericula.

DE RANIS ET TESTUDINE. 56

TEstudo conspicata ranas, quæ eodem stagno pascebantur adeo leves agilesque, ut facile quolibet prosilirent, & longissime saltarent, naturam accusabat, quod se tardum animal & maximo impeditum onere procreasset, ut neque facile se movere posset, & magna assidue mole premeretur. At ubi vidit ranas anguillarum escam fieri, & cujuscumque vel levissimo ictui obnoxias, aliquantulum recreata, dicebat: Quanto melius est onus, quo ad omnes ictus munita sum, ferre, quam tot mortis subire discrimina.

Hæc fabula indicat, ne ægre feramus dona naturæ, quæ majori nobis commodo sæpe sunt, quam nos intelligere valeamus.

DE GLIRIBUS QUERCUM ERUERE VOLENTIBUS. 57

Glires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinaverant, quo paratiorem haberent cibum, ne victus gratia toties ascendere, & descendere cogerentur. Sed quidam ex iis, qui ætate, & usu rerum, ac prudentia cæteros longe anteibat, eos absterruit, dicens: Si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis nobis, ac posteris nostris alimenta præbebit?

Fabula hæc monet, virum prudentem debere non modo præsentia intueri, verum etiam futura longe prospicere.

DE CANE ET HERO. 58

Canem quidam habens, quo magis ab illo diligeretur, semper eum cum suis pascebat manibus, ligatumque solvebat. Ligari autem, & verberari jubebat a servo, ut beneficia a se, maleficia autem a servo in illum viderentur esse collata. Ægre autem ferens canis, se assidue ligari, verberarique aufugit. Et cum increparetur a domino, ut ingratus, & tantorum beneficio-

rum immemor, qui se fugisset, a quo semper dilectus; pastusque fuisset, ligatus autem, verberatusque numquam, respondit: Quod servus tuo jussu facit, a te factum putatur.

Hæc fabula indicat, eos malefactores habendos, qui maleficiorum caussa fuere.

DE APIBUS ET URSO 59

URsus ictus ab Ape, tanta ira percitus est, ut alvearia, in quibus apes mellificaverant, tota unguibus discerperet. Tunc apes universæ, cum domos suas dirui, cibaria auferri, filios necari viderent, facto impetu, aculeis ursum invadentes pene necavere; qui ex earum manibus vix elapsus secum dicebat: quanto melius erat apis unius aculeum tolerare, quam tot in me hostes mea iracundia concitare!

Hæc fabula innuit, longe melius interdum esse, injuriam unius sustinere, quam, dum unum perire volumus, multos nobis inimicos comparare.

DE TRABE BOUM PIGRITIAM ACCUSANTE. 60

TRabs, quæ curru vehebatur, boves, ut lentulos, increpabat, dicens, currite pigri, onus enim leve portatis. Cui boves: Irrides nos? responderunt; ignoras,

tas, quæ te pœna maneat? Onus hoc nos cito deponemus; tuum autem, quoad rumparis, sustinere cogeris. Indoluit trabs; nec amplius boves conviciis lacessere ausa est.

Hæc fabula quemlibet monet, ne aliorum insultet calamitatibus, cum ipse possit majoribus subiacere.

DE EQUO ET MULO 61

MUlus conspiciens Equum aureo freno, ephippioque insignem, & purpureis opertum phaleris, rumpebatur invidia, illum beatum reputans, qui continue optimis vesceretur cibis, & decoro amiciretur ornatu; Se autem præ illo infelicem, qui clitellis male dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At ubi vidit equum pugna redeuntem multis affectum vulneribus, præ illius calamitate se felicem appellabat, longe melius esse dicens, quotidiano labore durum victum quæritare & turpiter vestiri, quam post optimos, & delicatos cibos, & tantos ornatus, mortis adire discrimina.

Hæc fabula monet, Regibus, & Principibus minime invidendum, quia divitiis & opibus abundent, cum vitam eorum longe pluribus periculis, quam pauperum, videamus esse subjectam.

DE

DE CERA DURITIEM APPETENTE 62

Cera ingemiscebat se mollem, & cuicumque levissimo ictui penetrabilem procreatam. Videns autem lateres ex luto multo se molliori factos, in tantam duritiem ignis calore pervenisse, ut multa perdurarent sæcula, se jecit in ignem, ut eandem duritiem consequeretur; sed statim igne liquefacta, consumpta est.

Hæc ad nonemur fabula, ne appetamus, quod est nobis natura denegatum.

DE AGRICOLA MILITIAM ET MERCATURAM AFFECTANTE. 63

Agricola quidam ægre ferebat se assidue terram volvere, nec perpetuis laboribus ad magnas divitias pervenire, cum nonnullos videret milites, qui actis præliis, ita rem auxerant, ut bene induti incederent, & lautis epulis nutriti, beatam agerent vitam. Venditis igitur ovibus, capris, ac bobus, equos emit, & arma, & in militiam profectus est, ubi cum ab Imperatore suo male pugnatum esset, non solum, quæ habebat, perdidit, sed etiam pluribus vulneribus affectus est. Quare damnavit militiam, & mercaturam exercere statuit, ubi majus lucrum, & minorem laborem existimabat. Prædia igitur

tur vendidit, & cum navem mercibus impleviſſet, navigare cæpit. Sed cum in alto eſſet, tempeſtas ſubito coorta eſt, navis ſubmerſa, & ipſe cum cęteris, qui in ea erant, ad unum omnes periere.

Hæc Fabula monet, quemlibet debere ſua ſorte eſſe contentum, cum ubique ſit parata miſeria.

DE ASINO LABORUM FINEM NON INVENIENTE. 64

ASinus hiberno tempore plurimum angebatur, quod nimio afficeretur frigore, & durum palcarum haberet victum. Quare vernam temperiem, & teneras herbas optabat; Sed cum ver adveniſſet, cogereturque a Domino, qui figulus erat, argillam in aream, & in fornacem, indeque lateres, imbrices, tegulas ad diverſa loca deferre, pertæſus veris, in quo tot labores tolerabat, æſtatem omnibus votis expetebat, ut Dominus meſſe impeditus eum quieſcere pateretur. Sed tunc quoque cum meſſem in aream, & inde domum triticum ferre compelleretur, nec quieti locus ſibi eſſet, autumnum ſaltem laborum finem fore ſperabat. Sed ubi nec tunc quoque malorum terminum adeſſe cernebat, cum quotidie vinum, poma, ligna portanda eſſent, rurſus hiemis nives, & glacies

cies efflagitabat, ut tunc saltem aliqua sibi requies a tantis laboribus concederetur.

Hac Fabula indicat, nulla esse præsentis vitæ tempora, quæ non perpetuis sint subjecta laboribus.

DE ANCILLIS ET MULIERE. 65

MUlier vidua operosa ancillas habens, has solebat noctu excitare ad opera ad gallorum cantus. His vero assidue defatigatis labore, visum est oportere domesticum occidere gallum, tamquam illum, qui noctu excitaret heram. Evenit autem ipsis, hoc facto, ut in graviora inciderent mala. Nam hera ignorans gallorum horam, temporius eas excitabat.

Fabula significat, plerisque hominibus consilia esse malorum caussas.

DE APIARIO. 66

IN mellarium ingressus quidam, Domino absente, favum abstulit. Hic autem reversus, ut alveolos vidit inanes, stans, quod in his erat, perscrutabatur. Apes autem e pastu redeuntes, ut deprehenderunt ipsum, aculeis percutiebant, pessimeque tractabant. Hic autem ad eas: O pessimæ animantes! Furatum vestros favos illæsum dimisistis, me vero satagentem vestri percutitis?

Ea-

Fabula significat, sic homines quosdam ob ignorantiam inimicos non cavere, amicos autem, ut insidiatores, repellere.

DE CANIBUS. 67

HAbens quidam duos canes, alterum venari docuit, alterum domum servare. Cæterum si quando venaticus caperet aliquid, qui domum custodiebat una cum eo particeps erat cœnæ. Ægre ferente autem venatico, & illi objiciente, quod ipse quotidie laboraret, ille nihil faciens suis nutriretur laboribus, respondens ipse ait: Non me, sed herum reprehende, qui non laborare me docuit, sed labores alienos comesse.

Fabula significat, adolescentes, qui nihil sciunt, haud esse reprehendendos, cum eos parentes sic educaverint.

DE COLUMBIS ET MONEDULA. 68

MOnedula in columbario quodam, columbis visis bene nutritis, dealbavit sese, ivitque, ut ipsa eodem cibo impertiretur. Hæ vero, donec tacebat, ratæ eam esse columbam, admiserunt: Sed cum aliquando oblita, vocem emisisset, tunc ejus cognita natura, expulerunt percutiendo; eaque privata eo cibo rediit ad monedulas rursum, & illæ ob colorem, cum ipsam

non

non nossent, a suo cibo abegerunt, ut duorum appetens, neutro potiretur.

Fabula significat, oportere & nos nostris contentos esse; avaritia enim praeter quam quod nihil juvat, aufert saepe & quae adsunt bona.

DE ASINO SILVESTRI. 69

Asinus silvestris, asino viso domestico in loco quodam aprico, profectus ad ipsum, beatum dicebat, & corporis habitudine, & cibi perceptione. Deinde vero cum vidisset eum ferentem onera, & agasonem retro sequentem, & baculis ipsum percutientem, ait: Ast ego non amplius beatum te existimabo: Video enim, non sine magnis malis habere te felicitatem.

Fabula significat, non esse aemulanda lucra, in quibus insunt pericula, & miseriae.

DE OVIBUS ET PASTORE. 70

Pastor actis in quercetum quoddam ovibus, strata sub quercu veste, ascendit, & fructum decutiebat. Oves vero inter edendum glandes, nesciae, & vestes una devorarunt; At cum pastor descendisset, ut quod erat actum, vidit: O pessima, ait, animalia! vos caeteris vellera ac vestes praebetis; a me vero, qui vos nutrio, & vestem surripitis.

Fa-

Fabula significat, plerosque homines ob dementiam eos, qui nihil attinent, beneficio efficere, in domesticos mala operari.

DE CULICE ET LEONE. 71

CVlex ad leonem accedens ait: Neque timeo te, neque fortior me es: mihi minus adesse virium ideo existimas, quod laceres unguibus, & dentibus mordeas? Hoc, & fœmina cum viro pugnans, facit. Ego vero longe sum te fortior. Si vero vis, veniamus ad pugnam. Et cum tuba cecinisset culex, inhæsit mordens circa nares ipsius & leves genas. Leo autem indignatus propriis unguibus dilaniavit se ipsum. Culex autem, victo leone, cum sonuisset tuba, & epinicium cecinisset, evolavit. Araneæ vero vinculo implicitus cum devoraretur, lamentabatur, quod cum maximis pugnans, a vili animali aranea occideretur.

Fabula est in eos, qui prosternunt magnos, & a parvis prosternuntur.

DE MURE ET RANA. 72

BElla gerebat mus cum rana. De paludis certabatur imperio. Pugna erat vehemens. Mus callidus sub herbis latitans, ex insidiis ranam adoritur: Rana viribus melior, pectore, & insultu valens, aper-

to Marte hostem lacessit. Hasta utrique erat juncea. Quo certamine procul viso, milvus adproperat. Dumque præ studio pugnæ neuter sibi cavet, utrumque bellatorem milvus rapit ac laniat.

Itidem evenire solet factiosis civibus, qui accensi libidine dominandi, dum inter se certant fieri Magistratus, opes suas, plerumque etiam vitam in periculo ponunt.

DE GRUE ET LUPO. 73

LUpo voranti ovem forte ossa hæsere in gula. Ambit, orat opem; opitulatur nemo. Omnes dictitant, tulisse, eum pretium voracitatis. Tandem blanditiis multis, pluribusque promissis gruem inducit, ut collo longissimo in gulam inserto, os infixum eximeret. Petenti autem præmium, illusit: Inepta, inquit, abi: Non sat habes, quod vivis? Vitam debes mihi: Si libuisset, licuit præmordere collum tuum.

Tritum est, perire, quod facis ingrato.

DE MURE URBANO, ET MURE RUSTICO. 74

LIbitum est urbano muri deambulare rus. Vidit hunc mus rusticus, invitat; apparatur; itur cœnatum. Depromit rusticus, quidquid posuerat in hiemem, & exaurit omne penu, ut tanti hospitis expleat

pleat lautitiam. Urbanus tamen frontem corrugans, ruris damnat inopiam, urbis subinde laudat copiam. Remeans ducit secum in urbem rusticum, ut quæ verbis jactarat, re comprobaret. Ineunt convivium, quod urbanus splendide compararat. Inter epulandum, auditur in sera murmur clavis, trepidare illi, & fugitare cœperunt. Rusticus, & insuetus & loci ignarus vix in tutum se recipere valuit. Discedente famulo, redit urbanus ad mensam, vocat rusticum, ille vix tandem metu deposito prorepit. Invitantem ad pocula urbanum percunctatur, num hoc periculum crebrum ait? Respondit ille, quotidianum esse; oportere contemni. Tum rusticus: Quotidianum? Inquit, mehercle istæ dapes plus fellis, quam mellis sapiunt. Equidem malo cum securitate meam inopiam, quam cum tali anxietate istam copiam.

Divitiæ præseferunt quidem voluptatem, sed si introspicias, habent pericula & amaritudinem.

DE AQU[redacted]ET CORNICULA. 75

Quila nacta cochleam, non vi, aut arte quivit eruere piscem. Accedens Cornicula dat consilium. Suadet subvolare, & e sublimi cochleam in saxa præcipitare; sic enim fore, ut concha frangatur. Humi ma-

net

net Cornicula, ut præstoletur casum. Præcipitat Aquila, frangitur testa, subripitur piscis a Cornicula, dolet elusa Aquila.

Noli quibusvis habere fidem: & consilium, quod ab aliis acceperis, sac inspicias. Multi enim consulti, non suis consultoribus, sed sibi consulunt.

DE LEONE SENECTUTE CONFECTO. 76

LEo, qui in juventute complures sua ferocitate fecerat inimicos, in senectute exolvit pœnas. Reddunt talionem bestiæ. Dente aper, cornu petit taurus; In primis asellus vetus ignaviæ nomen cupiens abolere, verbis & calcibus strenue insultat. Tum gemebundus Leo: Hi, quibus olim nocui, jam vicissim nocent, & merito. Sed hi, quibus aliquando profui, jam vicissim non prosunt, immo etiam immerito obsunt. Stultus fui, qui multis fuerim inimicus, stultior qui falsis amicis confisus fuerim.

In secundis rebus non efferaris, non sis ferox. Nam si vultum mutaverit fortuna, ulciscentur, quos læsisti.

DE ASINO ET CANE. 77

DUm blandiretur Canis hero, herus cani, Asellus id videns, altius gemebat. Cœpit eum pigere suæ sortis; inique pu-

putat comparatum, Canem gratum esse cunctis, pascique de mensa herili; idque ocio, ludoque consequi: Sed se contra portare clitellas, cædi flagello, nunquam ociosum esse, & cunctis tamen odiosum. Si hæc fiant blanditiis, eam artem, quæ tam utilis sit, statuit sectari. Igitur quodam tempore redeunti domum hero, rem tentaturus, procurrit obviam, subsilit, pulsat ungulis: Exclamante hero, accurrere servi; & ineptus Asellus, qui se urbanum credidit, fuste vapulat.

Non omnia possumus omnes; nec omnes omnia decent. Id quisque velit, id tentet, quod potest.

DE LEONE ET MURE. 78

LEo æstu, cursuque defessus, sub umbra fronde super viridi quiescebat. Murium autem grege tergum ejus percurrente experrectus, unum e multis comprehendit. Supplicat captivus; indignum se esse, cui Leo irascatur, clamitat: Reputans ille in nece tantillæ bestiolæ nihil esse laudis, captivum dimittit. Nec vero ita multo post Leo forte dum per saltum currit, incidit in plagas. Rugire licet, exire non licet. Rugientem miserabiliter Leonem Mus audit, vocem agnoscit, repit in cuniculos, laqueorum quærit nodos, quæsitos invenit, inven-

ventos corrodit, Leo e plagis evadit.

Hæc fabella suadet potentibus clementiam.

DE HIRUNDINE ET ALIIS AVICULIS. 79

Cum primum cœptum est seri linum, hirundo suadet aviculis impedire sementem, dictitans sibi fieri insidias. Irrident illæ, stultam vatem hirundinem vocant. Surgente jam lino, & virescente, rursus monet evellere sata. Maturescit linum, hortatur populari segetem. Cum ne tunc quidem consulentem audirent, hirundo, avium cœtu relicto, hominis sibi conciliat amicitiam. Init cum eo fœdus, cohabitat, cantu demulcet. Cæteris avibus e lino fiunt retia, & laquei.

Multi nec ipsi consulere sibi volunt, nec recte consulentem audiunt.

DE RANIS, ET EARUM REGE. 80

Gens ranarum cum esset libera Jovi supplicabat, dari Regem. Risit Jupiter vota ranarum: Illæ tamen iterum, atque iterum instabant, donec ipsum perpellunt. Deicit ille trabem; ea moles ingenti fragore quassat fluvium; territæ silent ranæ; Regem venerantur. Accedunt pedetentim proprius; Tandem, abjecto metu, insultant, & desultant: Iners Rex lusui est, & contemptui. Lacessunt rursum Jovem; orant Regem

dari, qui ſtrenuus ſit. Dat Jupiter ciconiam. Hæc perſtrenue deambulans paludem, quidquid ranarum obvium ſit, vorat. De hujus igitur ſævitia ranæ fruſtra queſtæ ſunt. Jupiter non audit, nam & hodie adhuc queruntur. Veſperi enim ciconia cubitum eunte, ex antris egreſſæ rauco ululatu murmurant, ſed ſurdo canunt. Vult enim Jupiter, ut quæ Regem clementem ſint deſpicatæ, jam ferant inclementem.

Perinde atque ranis evenire ſolet plebi, ſive quod ſemper præſentium illam pœniteat, ſive quod putat, nova veteribus non eſſe potiora.

DE CANE ET HERO. 81

CAnem venaticum, qui jam ſenuerat, inſtigat herus; tardi ſunt pedes, non properat. Præhenderat feram, fera edentulo elabitur; increpitat herus verbere & verbo. Canis reſpondet, debere ſibi jure ignoſci; jam ſenuiſſe, at juvenem fuiſſe, ſtrenuum: ſed ut video, inquit, nil placet ſine fructu. Juvenem amaſti, ſenem odiſti. Amaſti prædabundum, odiſti tardum edentulum. Sed ſi gratus eſſes, quem olim juvenem frugis cauſſa dilexiſti, ſenem fructuoſæ juventutis cauſſa diligeres.

Præteriti commodi nulla eſt memoria, futuri autem gratia non magna, præſentis commodi ſumma.

DE

DE LEPORIBUS INANITER TIMENTIBUS. 82

Silva insolito mugiente turbine, trepidi Lepores occipiunt fugere. Fugientes, cum obsisteret palus, stetere anxii; utrinque comprehensi periculis. Quoque majoris esset incitamentum timoris, vident in palude mergi ranas. Tum ex leporibus unus prudentior cæteris, ac disertior: Quid, inquit, inaniter timemus? Animo opus est. Corporum quidem agilitas nobis est, sed animus deest. Hoc periculum turbinis non fugiendum, sed est contemnendum.

Omni in re opus est animo, & virtus jacet sine confidentia.

DE FORMICA ET MUSCA. 83

Musca altercabatur cum formica, se nobilem, illam ignobilem; se volitare, illam repere; se versari in tectis regum, illam cavernis latere, segetem rodere, aquam bibere, se splendide epulari jactitabat, & hæc tamen otio nancisci. E contrario formica, se non ignobilem esse, sed suis natalibus contentam; muscam vagam esse, se stabilem; Sapere formicæ grana & fluenta, ut muscæ sapiunt pastilli, & vina. Atque hæc se non segni otio, at strenua opera nancisci. Porro formicam lætam esse, & tutam; caram omnibus; exemplar denique laboris: Muscam anxiam cum peri-

culo esse, cunctis infestam; cunctis invisam, exemplar denique segnitiei: Formicam hiemis memorem alimenta reponere: Muscam in diem vivere; hieme aut esurituram, aut certe morituram.

Videtur optabilior vita obscura cum securitate, quam cum periculo splendida.

DE EQUO ET LEONE. 84

VEnit ad equum comedendum leo. Carens autem præ senecta viribus meditari cœpit artem. Medicum se profitetur, verborum ambage equum moratur. Hic dolo dolum, artem opponit arti. Fingit se nuper in loco spinoso pupugisse pedem, orat, ut inspiciens sentem medicus ducat. Paret leo. At equus quanta potuit vi calcem leoni impingit, & se continuo coniicit in pedes. Leo vix tandem ad se rediens; ictu enim prope exanimatus fuerat: Pretium, inquit, fero ob stultitiam, & is jure effugit. Dolum enim dolo ultus est.

Non est timendus hostis, qui hostem præsefert, sed qui, cum hostis sit, benevolentiam simulat.

DE ASINO ET EQUO. 85

EQuus phaleris, sellaque exornatus cum ingenti hinnitu per viam currebat. Currenti autem obuitus asellus forte obstabat. Equus ira fremebundus, & fræna ferox spuman-

mantia mandens: Quid, inquit, tarde, ignave obsistis equo? Cede, inquam, aut proculco te pedibus. Asellus contra rudere non ausus cedit tacitus. Equo autem provolanti, & cursum intendenti crepat inguen. Tum cursui, & ostentui inutilis ornamentis spoliatur, dein essedario venditur. Videt postea cum carro venientem asellus, & affatur: Heus bone vir! quid istuc ornati est? ubi aurata sella, bullata cingula? Ubi nitidum frænum? Sic amice necesse fuit evenire superbienti.

Pleique in secundis rebus elati sunt, nec sui memores nec modestiæ. Sed quia prosperitate insolescunt, adversitatem incurrunt.

DE LUPO ET VULPE. 86

Lupus, cum prædæ satis esset, in otio degebat. Accedit vulpecula; sciscitatur otii caussam. Sensit lupus insidias fieri suis epulis; simulat morbum esse caussam; orat vulpeculam deprecatum iri Deos. Illa dolens dolum non succedere adit pastorem, monet petere latebras lupi: Hostem enim securum posse inopinato opprimi. Adoritur pastor lupum, mactat. Illa potitur antro, & præda; sed fuit illi breve sceleris sui gaudium; nam non ita multo post idem pastor & ipsam capit.

Fœda res invidia, & ipsi interdum autori quoque perniciosa.

DE LEONE ET VULPECULA. 87

LEo ægrotabat, visebant Animalia; una officium differebat vulpecula. Ad hanc legatum mittit leo cum epistola, quæ venire admonet: gratissimam rem ægroto fore ejus unius præsentiam. Nec quidquam periculi fore, cur vulpecula metuat. Leonem quidem primũ amicissimũ esse vulpeculę, ideoque percupere ejus colloquium: deinde ægrotum esse, & decumbere, & etiamsi, id quod non erat, velit, nocere tamen non queat. Rescribit vulpecula, optare se, ut leo convalescat, idque oraturam Superos. Cæterum minime visuram; terreri enim se vestigiis: quæ quidem vestigia cum omnia sint antro leonis adversa, & nulla aversa, eam rem indicium esse, multum quidem animalium introisse, sed exisse nullum.

Capienda est conjectura, tum ex verbis, tum ex factis, & ex his illa sunt judicanda.

DE MUSTELA ET VULPECULA. 88

VUlpecula longa inedia tenuis forte per angustiorem rimam in cameram frumenti repsit; in qua cum probe pasta fuit, dein rursus tentatem egredi distentus impediit venter. Mustela luctantem contemplata procul tandem monet, si exire cupiat, ad cavum macra redeat, quo macra intrarat.

Videas complures in mediocritate lætos esse, divites vero mæstos.

DE

LUpus cani ante lucem in silva forte fortuna fit obviam, salutat, adventum gratulatur; denique rogat, quo pacto tam sit nitidus. Cui ille: herilis cura hoc effecit. Herus me blandientem sibi demulcet; de mensa pascor herili nitidissima: nunquam sub dio dormito; tum universæ familiæ non dici potest quam sim gratus: Næ tu, inquit lupus, multo es felicissimus o canis, cui tam benignus & comis contigit herus, quocum o utinam commorari & mihi liceat, nullum me animantium fortunatius esset usspiam. Canis novi status cupidissimũ videns lupum, effecturum se pollicetur, ut hæreat in parte aliqua apud herum, modo de pristina ferocia aliquid remittere, & servitutem servire velit. Stat sententia: lupo libitum est deambulare ad villam. Sermones edunt in itinere prorsus jucundissimos. Postéa vero quam illuxit, contritum canis collum videns lupus: Quid sibi vult, inquit, o canis tua isthæc prorsus depilata cervix? Solebam, inquit ille, ferocculus notis pariter, & ignotis allatrare, obmordereque nonnunquam: id ægre ferens herus, crebris me tundebat verberibus, prohibens etiam, ne quem, præter furem lupumque adorirer: ego sic vapulando victus sum, & mitior factus, hocque genialis sævitiæ servavi signum. Lupus hoc audito: Ego,

 in

inquit, heri tui amicitiam tanti non emo. Vale igitur o canis cum tua isthac servitute: mihi mea potior est libertas.

Optabilius est in humili casa panem atrum vorare, quam in amplissima regia opiparis mensis frui & obnoxium trepidumque agere.

DE AQUILA ET VULPE. 90

VUlpeculæ proles fores excurrerat; ab aquila comprehensa, matris fidem implorat; accurrit illa; ut captivam prolem dimittat, aquilam rogat; aquila nacta prædam ad pullos subvolat: vulpes, correpta face, quasi illius munitiones incendio absumptura esset, insequitur. Cum jam arborem conscendisset & ipsa, nunc te, inquit, tuosque, si potes, tuere. Trepidans aquila, incendium dum metuit, parce, inquit, mihi parvisque liberis; tuum quidquid habeo, reddidero.

Impotentes acceptam interdum probe ulciscuntur injuriam.

DE AGRICOLA ET CICONIA. 91

GRuibus, anseribusque sata depascentibus laqueum prætendit rusticus: capiuntur grues, capiuntur anseres, capitur & ciconia. Supplicat illa innocentem sese clamitans, & nec gruem, nec anserem esse, sed avium omnium optimam; quippe quæ parenti semper inservire, eundemque

que senio confectum alere consueverit: Agricola, horum, inquit, nihil me fugit; verum cum nocentibus postquam te cepimus, cum his quoque morieris.

Qui flagitium committit, & is, qui impuris se adjungit socium, pari pœna plectuntur.

DE RUSTICO. 92

Rusticus quidam ex malo, quam in proximo habebat agello, sapidissima quotannis legebat poma, hero lecta donabat urbano, qui illectus incredibili pomorum dulcedine, malum tandem ad se transtulit: ea veterrima repente exaruit, atque ibi poma pariter, & malus periere. Quod quum patrifamilias nunciaretur: heu difficile, inquit, annosam transplantare arborem. Satis superque fuerat, si frænos meę novissem imponere cupiditati, & fructus ramo decerpere.

Qui nimium sapiunt, atque inconcessa sequuntur, desipiunt: cohibet qui sua vota, sapit.

DE AQUILONE ET SOLE. 93

Sol & ventus aquilo certant, uter sit fortior. Conventum est experiri vires in viatore, ut palmam ferat, qui exuerit manticam. Boreas horrisono nimbo viatorem aggreditur, ac ille non desistit, & amictum gradiendo duplicat. Adsunt vices solis. Qui nimbo paulatim evicto, emolitur radios. Incipit viator æstuare, sudare, anhelare.

Tandem progredi nequiens captat frigus opacum, atque sub frondoso nemore abjecta mantica resedit. Ita soli contigit victoria.

Quicum certes etiam atque etiam vide. Nam si fortis es, est forsitan alius te fortior; aut si non fortior, certe callidior, ut consilio suo tuum vincat robur.

DE EQUITE CALVO. 94

EQues calvus illigarat pileo comam fictitiam. Venit in campum acri spirante borea: ac dum male observat capillatum galerum, subito apparet calvities. Tollit cachinnum corona, nec non & ipse ridet: Quid novi est, inquit, avolare capillos alienos, cum olim defluxerint, qui fuerant mei?

Melius est non indignari, sed cum ridentibus ridere.

DE ABIETE ET DUMO. 95

FErtur olim Abies despicere Dumos. Jactitat se proceram esse, locari in ædibus, cum velo stare in navibus; dumos autem humiles, viles, nulli usui idoneos. Quorum quidem tale fuit responsum. Tu sane abies tuis gloriare bonis, ut nostris insultes malis; verum nec tua refers mala, & nostra præteris bona. Cum tu sonanti detruncare securi, quam velles tum nobis, qui securi sumus, esse te similem?

Et

Et summæ fortunæ sua insunt mala, & humili fortunæ sua bona.

DE AVARO ET INVIDO. 96

DUo homines orabant Jovem, cupidus, & invidus. Mittitur ab Jove Apollo, per hunc ut eorum votis satisfiat. Dat hic utrique optandi liberam facultatem ac conditionem, ut quodcumque petiisset alter, id ipsum alter acciperet duplicatum. Hæret diu cupidus, cum nihil putat fore satis. Petit tandem non pauca, & duplum accipit socius. Porro invidus hoc petit, ut ipse uno privetur oculorum, lætus socium mulctandum esse utroque.

Invidus, dummodo noceat alteri, sibimetipsi malum imprecatur.

DE JUVENCO ET RUSTICO. 97

ERat Rustico Juvencus vinculi omnis, jugique impatiens. Homo astutulus bestiæ resecat cornua; cornibus enim petebat. Tum jungit non currui sed aratro, ne, ut solet, herum pulset calcibus. Stivam ipse tenet, gaudens industria effecisse, ut jam foret tutus & a cornibus & ab ungulis. Sed quid evenit? Taurus subinde resistens spargendo pedibus os caputque rustici opplet arena.

Sunt nonnulli sic intractabiles, ut nulla queant arte, nullo consilio tractari.

DE SIMIA ET DUOBUS EJUS NATIS. 98

SImia, ut ferunt, cum parit gemellos, alterum diligit, alterum negligit. Erat puerpera cum gemellis; atque cum incidisset terror, vitatura periculum dilectū prehendit ulnis, quem, dum præceps fugitat, collidit petræ, atque enecat. Neglectus autem, qui in hirsuto hæserat tergo fugientis, mansit incolumis.

Parentes, nimia in filios indulgentia, sunt iis occasio mali, & periculi.

DE BOVE ET JUVENCO. 99

BOs jam grandis ævo quotidie trahebat aratrum. Juvencus laboris expers vicinis exultat in pascuis, ac tandem insultat fortunæ senioris. Jactat se jugi, ac vinculi inscium: se liberum, se otiosum; illi attritum esse labore collum. Denique se glabrum, ac nitidum, illum esse hirsutum, ac squallidum. Senior tum quidem nihil contra. Sed brevi post tempore videt hunc insultorem duci ad aras, ac tum hisce verbis affatur. Quo tua mollis vita pervenit? Securum istud otium redit ad securim. Jam saltem, ut opinor, potius suades mihi laborem, qui me tuetur, quam otium, quod nunc te traxit ad necem.

Ad vitam recte gerendam opus est labore, & vigilantia. Secors autem, & voluptati deditus suarum rerum, quem nollet, sortietur exitum.

DE

DE CANE ET LEONE. 100

OCcurrit canis leoni, jocatur: quid tu miser exhaustus inedia percurris silvas, & devia? Me specta pinguem, ac nitidum, atque hæc non labore consequor, sed otio. Tum leo: habes tu quidem tuas epulas, sed habes stolide etiam vincula. Tu servus esto, qui servire potes. Equidem sum liber, nec servire volo.

Quibuslibet rebus potior est libertas.

DE AQUILA ET CORVO. 101

AQuila celsa ex rupe advolans agnum ex omni grege arripuit. Quam rem corvus conspicatus, æmulatione motus, vehementi cum strepitu, ac stridore devolat in arietem, atque ungues in arietis vellus ita implicat, quod inde etiam motu alarum se explicare non potest. Hunc pastor, cum ita implicitum videt, accurrens corvum comprehendit, atque alarum pennis incisis, pueris suis pro ludibrio dedit. Verum enim cum quispiam corvum rogaret, quænam volucris esset, corvus ait: Prius equidem quoad animum aquila fui, nunc vero me corvum esse certo cognosco.

Qui supra vires quidpiam audet, in adversa sæpe incidit, ac se ridiculum exhibet.

DE CANE AD COENAM VOCATO. 102

VIr quidam cum cœnam opiparam parasset, amicum quendam domum voca-

vocavit; ejus quoque canis canem alterius ad cœnam invitavit. Is domum ingressus, cum tantum dapium videt apparatum lætus secum ipse ait; hodie porro ita me explebo, quod die crastino comedere non indigebo. Hisque dictis motu caudæ applaudit. Coquus vero eum conspiciens, per caudam tacitus capit, atque illum sæpius rotans, per fenestram projicit. Ille attonitus humo assurgens, dum clamando aufugit, cæteri canes sibi occurrunt, atque rogitant; quam opipare cœnaverit. At ille languens ait: Ita potu, ac dapibus me explevi, quod, dum exiverim, viam non vidi.

Fabula significat, quod quibus rebus quis doliturus est, rebus illis lætari non debet.

DE VULPE. 103

VUlpes ingenti fame concita, cum quodam in promptuario carnis frustum, ac panem repositum prospiceret, promptuarium ipsum intravit, atque tantum comedit, quod ad ingentem tumorem ventrem distendit; & cum ex nimia ventris tumefactione inde egredi nequiret, tumens gemebat. Ejus gemitum vulpes alia transiens illac, cum audiret, illuc accedit, rogatque, quidnam gemeret: deinde causam gemitus edocta, lepide ait: Istic manendum est usque eo dum tenuis efficiaris, quanta eras cum intrasti; nam eo pacto facile egredieris.

Fabula significat, quod nihil est tam durum, quod tempus non dissolvat.

DE DUOBUS AMICIS ET URSA. 104

AMici duo dum rus adirent, ursa eis obviam occurrit: qua prospecta, alter eorum territus, ut se salvaret continuo arborem ascendit. Alter cum ursæ viribus posse obsistere dubitaret, uti mortuus humi jacuit resupinus, retinens flatum, & anhelitum. Quum nec ore, aut naso respiraret, ursa eum exanimatum existimans, abiit. Dicunt enim a cadavere ursas omnino abstinere. Alter deinde ex arbore descendens, quid in aurem sibi dixerit ursa, socium rogavit. Ille urbano sermone respondit: Admonitus sum ab ursa, ut cum hujusmodi amicis non proficiscar amplius.

Fabula significat, quod eorum amicitia colenda non est, qui, cum est opus, amicis subsidia denegant.

DE CANE ET LUPO. 105

CAnis cum ante aulam dormiret, lupus superveniens eum statim cepit, & cum ipsum occidere vellet, canis, ne eum occideret, rogavit, inquiens: here mi lupe, nunc me occidere noli; nam, ut vides, tenuis sum, gracilis, & macilentus. Sed herus meus nuptias in proximo facturus est, ubi si parum me expectas, ego opi-

opipare manducans, atque pinguior factus, ero tibi utilior. Lupus his verbis fidem habens, canem dimisit. Paucos post dies lupus accedens eum canem domi dormientem reperit; stans ante aulam canem rogat, ut sibi promissa præstet: & canis haud rustice inquit: heus lupe, si ante aulam de cætero me repereris, haud amplius nuptias expectes.

Fabula significat, quod sapiens cum periculum vitat, ab illo postea continue cavet.

DE ASINO, LEONE, ET VULPE. 106

LEo, Asinus, & Vulpes conflata inter se societate venatum exeunt. Cumque multam prædam cepissent, Leo Asino mandat, ut praedam dividat: Asinus cum eam in tres partes æquales esset partitus, optionem capiendi sociis dedit; quam partitionem, Leo indigne ferens, ac dentibus frendens, a divisione deposuit eum, mandavitque vulpi, ut prædam ipsa partiretur. At vulpes illas tres partes in unum colligens, ac prædæ nihil sibi seorsum relinquens, leoni omnia tradidit; tunc leo vulpi ait: quis te partiri edocuit? Inquit ex tempore vulpes: Asini periculum id me facere instruxit.

Fabula significat, quod aliorum pericula homines faciunt cautiores.

DE

DE DUOBUS GALLIS INTER SE CERTANTIBUS. 107

DUo Galli inter ſe ruri certabant. Qui gallinarum prior dux erat, cum ab altero ſuperatus eſſet, præ verecundia ſe abſcondit. Alter vero victoria elatus domus tectum ſtatim ſupervolans vehementi alarum plauſu cantuque ſignificat, ſe rivalem ſuum pugnando ſuperaſſe, & de adverſario ferre tropæum. Dum hæc, & hujuſmodi jactabundus voce crocizat, ecce aquila cibi indigens ex alto devolans gallum unguibus rapit, ac pullis ſuis in alimoniã confert. Quam rem, qui victus fuerat gallus proſpiciens, ceu ex hoſte triumphans in publicum venit, ac ſolus gallinis libere potitur.

Fabula ſignificat, quod qui proſperis nimium fidit, in adverſa ſæpius præceps incidit.

DE APE ET JOVE. 108

APes, quæ ceræ mater exiſtit, quondam accedens, ut Diis ſacra faceret, Jovi donum obtulit mellis, qua oblatione Juppiter lætus, juſſit ſibi concedi quidquid ipſa precaretur. Apes igitur rogans ait: Illuſtriſſime Deus Deorum, ancilæ tuæ concedere velis, ut quicunque ad alveare pro rapiendo melle acceſſerit, is, ſimul ac pupugero eum, continuo moriatur. Qua rogatione Jupiter diu ambiguus, quoniam

ge-

genus mortalium longe amabat, demum api ait: ſatis ſit tibi, quod quicunque alveare pro rapiendo melle acceſſerit, ſi eum pupugeris, & punctura ſtimulum dimiſeris, continuo ipſa moriaris, tibique vita ſit ipſe ſtimulus.

Fabula ſignificat, quod inimicis quandoque mala precamur, quæ in nos ſæpius vertuntur.

DE LIGNATORE QUODAM. 109

Lignator quidam dum juxta flumen Deo Mercurio dicatum ligna cæderet, ſecuris caſu decidit in flumen. Multo igitur mœrore comprehenſus, juxta fluminis ripam gemens conſedebat. Mercurius miſericordia motus lignario apparuit, ſuique fletus cauſſam rogavit: quam ſimul ac didicit, ſecurim auream deferens, utrum, quam perdiderat, illa eſſet, rogavit. At eam pauper ſuam eſſe negavit. Secundo Mercurius alteram detulit argenteam, quam cum pauper ille ſuam quoque eſſe denegaret, poſtremo Mercurius ferream ſubſtituit. Illam ſuam eſſe cum pauper aſſentiret, Mercurius cognoſcens, illum eſſe hominem verum juſtumque, omnes ei dono dedit. Accedens igitur ad ſocios lignarius, quod ſibi acciderat, aperit. Unus ex ſociis id experiri volens, cum ad flumen acceſſiſſet, ſecurim in aquam dejecit. Deinde flens in ripa conſedit. Cujus Mercurius fle-

tus caussam doctus securim auream afferens, si, quam perdiderat, illa esset, rogavit. Quam cum suam esse 'assereret, Mercurius, cognita ejus inpudentia ac mendacio, nec auream, nec suam quoque tradidit.

Fabula significat, quod quanto Deus propitior est probis, eo improbis existit infestior.

DE LEPORIBUS ET RANIS. 110

LEpores simul in unum convenerunt, ubi cum de miseria ipsorum innata dolerent, gemerentque, quod vita eis, quam cæteris animalibus, data esset miserior (quoniam homines, aquilæ, & canes ad mortem eos usque persequerentur) decernunt melius sibi fore semel mori, quam in vita tam misera diutius permanere. Hoc certo consilio, ut se in stagnum præcipitent, dum ocyus tendunt; ranæ, quæ super stagni ripa astabant, ut strepitum audiunt, in stagnum desiliunt, seque aquis submergunt. Quam rem qui lepus præibat, cum conspicatur, reliquis ait: state, nam nobis sententia mutanda est: Quippe, ut liquido videtis, animalia, quam nos, magis timida reperiuntur.

Fabula significat, quod dum miser miseriorem aspicit, suam æquius miseriam fert.

DE MURE, QUI CUM FELE AMICITIAM CONTRAHERE VOLEBAT. 111

MUres complures in cavo parietis commorantes contemplabantur felem; quæ in tabulo capite demisso, & tristi vultu recumbebat: Tunc unus ex eis: Hoc animal inquit, benignum admodum & mite videtur. Vultu enim ipso sanctimoniam quamdam præfert. Volo ipsum alloqui, & cum eo indissolubilem nectere amicitiam. Quæ cum dixisset, & accessisset, a fele captus, & dilaceratus est. Tum cæteri hæc videntes secum dicebant: Non est profecto, non est vultui temere credendum.

Hac fabula innuit non ex vultu, sed ex operibus homines judicandos, cum sub ovili pelle sæpe atroces lupi delitescant.

DE ASINO, QUI HERO INGRATO SERVIERAT. 112

ASinus, qui viro ingrato multos annos inoffenso pede servierat, semel, ut fit, dum sarcina pressus, & salebrosa incedit via, sub onere ceciderat. Tum Dominus implacabilis multis verberibus surgere compellebat, pigrum animal, & ignavum nuncupans. At ille miser inter verbera hæc secum dicebat: Infelix ego quam ingratum sortitus sum herum! Nam quamvis

vis ei multo tempore sine offensa servierim, tamen non hoc unum delictum tot meis pristinis beneficiis compensat.

Hæc fabula in eos conficta est, qui beneficiorum sibi collatorum immemores etiam minimam benefactoris sui in se offensam atroci pœna prosequuntur.

DE LUPO SUADENTE HISTRICI, UT TELA DEPONERET. 113

Lupus esuriens in histricem intenderat animum, quem tamen, quia sagittis undique munitus erat, invadere non audebat. Excogitata autem eum perdendi astutia, illi suadere cœpit, ne pauco tempore tantum telorum onus tergore portaret, quandoquidem ne alii quidem sagittarii, nisi cum prælii tempus instaret portarent. Cui histrix: adversus lupum, inquit, semper præliandi tempus esse credendum est.

Hæc fabula innuit, virum sapientem oportere adversus inimicorum, & hostium fraudem semper esse munitum.

DE ERINACIO VIPERAM HOSPITEM EIICIENTE. 114

Erinacius hyemem adventare præsentiens, blande viperam rogavit, ut in propria illius caverna adversus vim frigoris, locum sibi concederet. Quod cum illa fecisset, erinacius huc illuc se provolvens

spi-

ſpinarum acumine viperam pungebat, & vehementi dolore torquebat. Illa male secum actum videns, quando erinacium ſuſcepit hoſpitio, blandis eum verbis, ut exiret, orabat; quandoquidem locus ambobus eſſet anguſtus. Cui Erinacius: exeat, inquit, qui hic manere non poteſt. Quare vipera ſentiens, ſibi locum non eſſe ibi, illinc ceſſit hoſpitio.

Fabula indicat, eos in conſortio non admittendos, qui nos poſſunt eiicere.

DE CANE, ET HERO. 115

PAſtor quidam cani oves ſuas dederat cuſtodiendas, optimis illum paſcens cibis. At ille ſæpe aliquam ovem occidebat. Quod cum paſtor animadvertiſſet, canem capiens, eum volebat occidere. Cui canis: quid me, inquit, perdere cupis? Sum unus ex domeſticis tuis, interfice potius lupum, qui continuo tuo inſidiatur ovili. Imo, inquit paſtor, te, quam lupum morte dignum magis puto. Ille enim palam ſe meum hoſtem profitetur: Tu vero amicitiæ ſpecie, quotidie meum imminuis gregem.

Hac innuit fabula, longe magis puniendos, qui ſub amicitiæ ſpecie nos lædunt, quam qui aperte ſe noſtros inimicos profitentur.

DE ARIETE ET TAURO. 116

ARies quidam inter lanigeros greges erat tanta cornuum, & capitis firmitate, ut cæteros arietes ſtatim facileque ſuperaret. Quare cum nullum amplius arietem inveniret, qui occurſanti ſibi auderet obſiſtere, crebris elatus victoriis, taurum auſus eſt ad certamen provocare. Sed primo congreſſu, cum in taurinam frontem arietaſſet, tam atroci ictu repercuſſus eſt, ut fere moriens hæc diceret: Stultus ego quid egi? cur tam potentem adverſarium auſus ſum laceſſere, cui me imparem creavit natura?

Fabula indicat, cum potentioribus non eſſe decertandum.

DE AQUILA ET CUNICULO. 117

AQuila in altiſſima arbore nidulata catulos cuniculi, qui longe inde paſcebantur, in eſcam pullorum ſuorum rapuerat: Quam cuniculus blandis orabat verbis, ut ſuos ſibi filios reſtituere dignaretur. At illa eum, ut puſillum & terreſtre animal, & ad ſibi nocendum impotens arbitrata, eos in conſpectu matris unguibus dilacerare, & pullis ſuis epulandos apponere non dubitavit. Tunc cuniculus filiorum morte commotus, hanc injuriam minime impunitam abire permiſit. Arborem enim, quæ nidum ſuſtinebat, radicitus effodit, quæ levi im-

pulsu ventorum procidens pullos aquilæ adhuc implumes, & involucres in humum dejecit, qui a feris depasti, magnum doloris solatium cuniculo præbuerunt.

Hæc fabula indicat, neminem potentia sua fretum imbecilliores despicere, cum aliquando infirmiores potentiorum injurias ulciscantur.

DE LUPO PISCE FLUVII, MARIS REGNUM AFFECTANTE. 118

LUpus piscis erat in amne quodam, qui pulchritudine, magnitudine, ac robore cæteros ejusdem fluminis pisces excedebat. Unde cuncti eum admirabantur, & tanquam regem præcipuo prosequebantur honore. Quare in superbiam elatus majorem principatum cœpit appetere. Relicto igitur amne, in quo multos annos regnaverat, ingressus est mare, ut ejus regnum sibi vindicaret. Sed offendens Delphinum miræ magnitudinis, qui ibi regnabat, ita ab illo insectatus est, ut aufugiens vix amnis ostium ingrederetur, unde amplius non est ausus exire.

Hæc fabula nos admonet, rebus nostris contenti ea non appetamus, quæ nostris viribus sunt longe majora.

DE

DE VIRO AMICOS EXPERIRI VOLENTE. 118

VIr quidam dives admodum, & liberalis magnam habebat amicorum copiam; quos ad cœnam sæpissime invitabat, ad quam libentissime accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus, & periculis sibi fideles essent, omnes pariter convocavit, dicens, obortos sibi inimicos, ad quos perdendos ire statuerat; quare correptis armis secum irent, ut illatas sibi ulciscerentur injurias. Tunc omnes, præter duos, sese excusare cœperunt. Cæteris igitur repudiatis, illos tantum duos in amicorum numero habuit, quos deinde singulari amore prosequutus est.

Hæc fabula indicat, adversam fortunam amicitiæ experimentum esse quam optimum.

DE VULPE CARNEM LEPORIS CANI LAUDANTE: 120

VUlpes cum fugaretur a cane, & jam jam esset capienda, nec ullam aliam evadendi viam invenire posse cognosceret: quid me, inquit, o canis perdere cupis, cujus caro tibi usui esse non potest? Cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cujus carnem suavissimam mortales esse commemorant: Canis igitur motus consilio illius, omissa vulpe, leporem insequutus est, quem tamen ob incredibilem ejus ve-

velocitatem capere non potuit. Paucis post diebus, lepus conveniens vulpem, vehementer eam accusabat (verba enim ejus audierat) quod se cani demonstrasset. Cui vulpes: quid me accusas, lepus, quæ te tantopere laudavi? quid diceres, si te vituperassem?

Hæc indicat fabula, multos sub laudationis specie aliis perniciem machinari.

DE EQUO. 121

EQui complures ad Circenses ludos fuerant adducti, pulcherrimis phaleris ornati, præter unum, quem cæteri, ut incultum, & ad hujusmodi certamen ineptum irridebant, nec umquam victorem futurum opinabantur. Sed ubi currendi tempus advenit, &, dato tuba signo, cuncti e carceribus exiliere, tum demum innotuit, quanto hic paulo ante irrisus cæteros velocitate superaret. Omnibus enim aliis post se longo intervallo relictis, palmam assequutus est.

Fabula indicat, non ex habitu, sed ex virtute homines judicandos.

DE JURISCONSULTO ET RUSTICO. 122

RUsticus quidam gravi lite implicitus ad quendam Jurisconsultum accesserat, ut eo patrono sese explicaret. At ille aliis negotiis impeditus renunciari jubet, se non posse nunc illi vacare, quare abiret alias

re-

rediturus. Rusticus, qui huic ut veteri fidoque amico plurimum fidebat, sæpius rediens numquam admissus est. Tandem hœdum adhuc lactentem, & pinguem secum deferens, ante ædes jurisperiti stabat, & hœdum vellicans illum balare cogebat. Janitor, qui ex præcepto heri dona portantes statim admittere solebat, audita hœdi voce, januam illico aperiens, hominem introire jubet. Tunc rusticus ad hœdum conversus: gratias, inquit, tibi ago hœdule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.

Fabula indicat, nullas res tam duras difficilesque esse, quas munera non aperiant.

DE ACCIPITRE ET LUSCINIA. 123.

LUscinia ab accipitre famelico comprehensa, cum se ab eo devorandam intelligeret, blande eum rogabat, ut se dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentem mercedem sese relaturam. Cum autem accipiter eam interrogaret, quid gratiæ sibi referre posset: aures, inquit, tuas mellifluis cantibus demulcebo. At ego, inquit accipiter, malo mihi ventrem demulceas: sine tuis enim cantibus vivere, sine cibo vero non possum.

Hæc fabula innuit, utilia jucundis anteponenda.

DE SENE MORIENTE. 124

SEnex quidam mortem, quæ eum e vita raptura venerat, rogabat, ut paullum differret, dum testamentum conderet, & cætera ad tantum iter necessaria præpararet. Cui mors: cur non, inquit, hactenus præparasti toties a me admonitus? Et cum ille, eam nunquam a se visam amplius diceret: cum, inquit, non æquales tuos modo, quorum nulli fere jam restant, verum etiam juvenes, pueros, infantes quotidie rapiebam, non te admonebam mortalitatis tuæ? Cum oculos hebescere, auditum minui, cæterosque sensus in dies deficere, corpus ingravescere sentiebas, nonne tibi me propinquam esse dicebam? & te admonitum negas? Quare ulterius differendum non est.

Hæc fabula indicat, ita vivendum, quasi mortem semper adesse cernamus.

DE PSITTACO. 125

PSittacus ex oriente in occidentem delatus, ubi hujusmodi aves nasci non consueverunt, admirabatur sese in majori pretio, & honore haberi, quam in natali consuevisset solo. Nam caveam eburneam argenteis contextam virgis incolebat, suavissimisque alebatur cibis; quod cæteris avibus occidentalibus, quæ neque in forma, neque in exprimendis humanis vocibus sunt

in-

inferiores, non contigebat. Tunc turtur in eadem cavea conclusus, hoc, inquit, nulla est admiratione dignum. Nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet.

DE ASINO ET CANE. 126

CAnis molossus non modo ad lupos, sed etiam ad ursos expugnandos validus, cum asino, qui saccum panibus plenum ferebat, longum iter fuerat ingressus. Inter eundum autem oborta fame, asinus pratum offendens, large ventrem virentibus herbis implevit. Canis autem asinum rogabat, ut aliquantulum panis sibi daret, ne periret inedia. At ille non solum panem non dabat, sed canem irridens, illi, ut secum herbas pasceret, consulebat. Interim lupum advenientem asinus conspicatus, canem rogabat, ut sibi esset auxilio; cui canis, tu mihi, inquit, consuluisti, ut adversus famem herbas pascerem. Ego quoque tibi consulo, ut adversus lupum te ferratis calcibus tuearis. Hæc cum dixisset, abiens ingratum comitem, & raptoris sui mox cibum futurum in pugna deseruit.

Fabula indicat, qui indigentibus expetita non præstat auxilia; ab aliis quoque necessitatis tempore solere destitui.

DE PAUPERE. 127

VIr quidam pauper nihil habebat, præter domum ruinam minitantem, tibicinibusque suffultam, quam ab agro rediens cum ruentem offendisset, nec haberet, unde eam reficeret, vehementer angebatur, magnoque ejulatu & clamore cuncta complebat. Inter lamentandum autem cernit urnulam æneam, quæ multos jam annos in pariete obstrusa latuerat, inter rudera & saxa jacentem, quam cum substulisset, apertamque aureis plenam invenisset, ejulatu & clamore compressis, vehementi gaudio affectus est.

Fabula innuit, sæpenumero in nobis utile esse, quod damnosum putabamus.

DE PECUNIA ET VIRTUTE. 128

PEcunia interrogata a virtute, cur potius ad malos, quam ad bonos accederet: Quia boni, inquit, mentiri, pejerare, usuram facere, & alios spoliare, te magistra, non didicerunt. Hæ enim res ad sese me trahere solent. Tum virtus: malo, inquit, discipuli mei in paupertate degant, quam sese his vitiis contaminent. Utrisque enim cito moriendum est. Boni in terrarum orbe gloriam relinquentes sempiternam ad cœlestia regna subvolabunt. Mali autem merita notati infamia, relictis opibus suis ad Tartara ima descendent.

Fabula monet, divitias turpiter non congregandas, quae amatoribus suis hic infamiam, post mortem autem sunt daturae tormentum.

DE VIRO AD CONVIVIUM INVITATO, 129

VIr quidam doctus ad convivium cujusdam Principis accitus, & in ultimo loco discumbere jussus, cum caeteris convivis magni pisces, sibi autem minutuli apponerentur, nullum edebat. Sed singulos ori prius, deinde auribus admovens, tanquam aliquid ab eis sciscitaturus in patinis integros, & illesos reponebat. Interrogatus a Magistro convivii, cur hoc faceret: Meus, inquit, pater ante hoc biennium his in regionibus nautragio periit, nec, quid de ejus cadavere factum sit, postea scire potui. Sciscitabar ergo ab his pisciculis, an aliquid de eo scirent. Verum hi, eo tempore nondum se natos fuisse, respondent. Quare majores interrogandi essent. Princeps audito tam lepido dicto, ipsi quoque majores jussit exhiberi, semperque eum postea inter praecipuos convivas habuit.

Fabula indicat, apud literarum inopes doctis viris, non tam doctrinam, quam facetias, & urbana dicta prodesse.

DE ASINO ET PORCO. 130

ASinus porco, qui sub eodem erat domino plurimum invidebat, quod omnis laboris expers, variis nutriretur cibis, in diesque pinguior fieret. Ipse autem plurimum laboris substinens duris paleis aleretur. Unde macilentus effectus vix progredi posset. Sed ubi vidit contubernalem suum ad lanienam trahi, ut occisus hominum esset cibus, aliquantulum recreatus; At at, inquit, hinc illa in nutriendo porco hominum diligentia! O quam melius est asinum esse, quam porcum.

Fabula indicat, iis, quos felices putamus, minime invidendum, cum illa adumbrata felicitas multæ sæpe sit caussa miseriæ.

DE MULIERE ET VIRO. 131

VIr quidam iracundus emens merulas, dederat uxori coquendas, dicens: coque hos turdos; Cui uxor; merulæ sunt non turdi. Cum autem maritus contenderet, esse turdos, nec uxorem posset inducere, ut turdos esse assentiretur, plurimis eam verberibus affecit. Exacto autem anno, cum dies certaminis illuxisset, mulier verberum memor, hæc est, inquit, illa dies, qua me superiori anno ob illas maledictas merulas tam male tractasti. Adhuc, inquit vir, negare audes, illos fuisse turdos? Et cum rursus mulier viro non cede-

de-

deret, iterum vapulavit, sicque quotannis eadem die redeunte vapulabat.

Fabula indicat, stultum esse adversus potentiores se ob minimam rem velle contendere.

DE OPILIONE CANIBUS ET LUPO. 132

Opilio reperiens catulum lupi domum tulit, eumque inter canes ovium custodes aluit, qui ubi adolevit, oves occidebat, canesque, ut una secum comederent, edocebat. Quod opilio animadvertens, lupum quidem occidit, canes tamen, ut ab ovium cæde temperarent, non poterat prohibere. Tum pastor secum: Merito, plector, ut qui lupum canibus immiscui, qui eos oves occidere docuit.

Fabula indicat, bonorum mores malorum consuetudine corrumpi.

DE GREGE ET PASTORE. 133

Pastor, qui magnum caprarum, & ovium gregem habebat, videns gregem suum quotidie lupi escam fieri, ac minui, oves, & capras congregans longa eas oratione hortatus est, ne vellent lupum formidare, cum essent numero plures, & cornibus, quibus lupus careret, insuper armatæ; sed vellent unanimiter, & auxilio mutuo se se ab illius impetu, & furore defendere, promittens se quoque eis non defuturum.

Illæ hac oratione animatæ promittunt, jurantque, se nequaquam lupo cessuras. Cum autem paulo post lupus adventare nunciaretur, tanto timore affectæ sunt, ut nullis pastoris verbis possent a fuga cohiberi. Tunc pastor secum: impossibile est, inquit, mutari posse naturam.

Fabula indicat, homines natura ignavos, ac meticulosos, non solum conspectu, sed etiam hostium fama terreri, nullaque ducis oratione ad virtutem accendi.

DE FICEDULA ET TURDO. 134

Ficedula per locum quendam desertum iter faciens reperit turdum labruschæ uvis, & silvestrium arborum baccis victitantem; Apud quem hospitata, hortata est eum, ut relicto tam sterili, & deserto loco secum pergeret: Se enim ducturam eum in regionem suavissimis uvis, ficis, & omni pomorum amœnitate refertam; Cum autem turdus illius consiliis obsecutus, in locum a ficedula prædictum pervenisset, reperit cibos adhuc suaviores, quam illa promiserat. Sed cum videret nonnullas aves visco implicitas, alias laqueis captas, complures retibus irretitas, & mille insidias ac dolos avibus tensos, vale ficedulæ dicens, antiquam in patriam rediit, ubi usque ad decrepitam ætatem absque ullo insidiantium metu vitam tranquille protraxit.

Fa-

Fabula indicat, longe melius esse tenui, & agresti victu quiete vivere, quam lautis, & opiparis epulis inter vitæ discrimina.

DE VIRO MORIENTE. 135

VIR avarus moriens, cum demum intelligeret, nihil secum laturum, vertit se ad amicos, & propinquos, quos præsentes cernebat, dicens: discite a me, qui omne vitæ tempus struendis opibus incubui, ne nimium studeatis congregare divitias. Ex tot enim terræ jugeribus, & tam pretiosis vestibus, quas tanto sudore paravi, quinque pedum fossam, & linteamen unum, quo mortuus tegar, possidebo.

Fabula indicat, stultum & miserum esse tantam coacervandis opibus operam impendere, quæ (velimus, nolimus) brevi sunt relinquendæ.

DE GRAMMATICO. 136

GRammaticus quidam gloriabatur, adeo in arte sua se excellentem esse, ut, si digna daretur merces, non modo pueros, verum etiam asinos docere profiteretur. Princeps audiens hominis temeritatem, interrogat eum, an, si quinquaginta ei daret aureos, intra decennium docere asinum confideret. Respondit vir impudens, non recusare se ab eo interimi, si hoc spatio temporis asinus ille legere, & scribere

nesciret. Amici hoc audientes admirabantur, increpabantque hominem, qui non modo rem arduam, atque difficilem, verum etiam impossibilem facere promisisset, timebantque, ne certo tempore a principe occideretur. Quibus ille respondebat: Ante quam hoc tempus elabatur, aut asinus morietur, aut princeps, aut ego.

Fabula indicat, in periculo constitutis moram sape auxilio esse solere.

DE HOMINE SERPENTE ET SIMIA. 137

SErpens ingenti oppressus saxo rogavit virum illac iter habentem, ut a se onus amoliretur, pollicitus ingentem se illi thesaurum, si hoc faceret, daturum. Quod cum vir mitis fecisset, non modo promissa non solvebat, sed hominem morte dignum esse dicebat. Dum ita contenderent, accidit, ut simius illac transiret, qui judex, & arbiter electus, non possum, inquit, inter vos tantas componere lites, nisi videro prius, quo pacto serpens sub saxo stabat. Cum ergo vir serpenti saxum imposuisset, inquit simius: Ingratum animal sub saxo relinquendum censeo.

Fabula indicat, ingratos homines nullo dignos esse beneficio.

DE

DE GALLINA ET PULLO. 138

Gallina pullos complures habens vehementer extimescebat, ne sibi a milvo subriperentur. Unde sæpe eos sub alas viso milvo congregans, ab inimica alite tutabatur. Sed quadam die milvum ad se accedentem conspicata, filios convocavit, qui omnes propere ad vocem matris currentes salvi facti sunt, uno dumtaxat excepto, qui matris voce contempta, dum granum tritici esse cupit, per aera curvis unguibus a sæva ave raptus est.

Fabula indicat, qui parentum imperio non obsequuntur in maximas calamitates incidere.

DE LUPO ET VULPE. 139

Lupum in fossam lupariam delapsum vulpes conspicata, irridebat, & circum oras, & fossæ marginem lætabunda saltitabat, stolidum animal illum appellans, qui hominum fraudes non animadvertisset. Dum sic ergo lasciva gestiret, subsidens terra eam traxit in præceps: Quam delabentem lupus conspicatus: maximum, inquit, nunc mortis meæ solatium ad manes feram, videns vulpem, quæ me irridebat mecum pereuntem.

Fabula indicat, cujusvis calamitatibus numquam insultandum, cum in easdem nos quoque incidere possimus.

DE VIRO DIVITE ILLITERATO ET INOPE DOCTO. 143

VIr quidam dives, ſed illiteratus virum doctum, ſed inopem deridebat, quod ipſe ſua induſtria multas divitias congregaſſet, cum ille, qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur; cui ille: Nil mirum, cum tu opibus coacervandis, ego vero doctrinæ comparandæ, quæ longe divitiis præſtat, incubuerim. Hinc inter divitem, & literatum orta contentio, utrum doctrina, an gaza præſtantior eſſet: Componi non poterat, cum uterque multos fautores haberet, ſed plures dives. Tandem hoc pacto compertum eſt, doctrinam gaza præſtantiorem eſſe: Diſcordiis civilibus ambo ſolum mutare compulſi, cum nihil ſecum e ſuis fortunæ bonis ferre potuiſſent, in aliam urbem ſe contulerunt: Ubi vir literatus magna ad docendum mercede conductus in magno pretio, & honore habebatur. Qui vero dives fuerat, panem oſtiatim petere coactus inopia, confeſſus eſt, ſe ſua opinione deceptum.

Fabula indicat, fortunæ bona, quoniam huc, & illuc tranſeunt, ab animi bonis, quæ propria, & perpetua ſunt, longe ſuperari.

DE CANE ET VULPE. 141

VUlpes ſimulans ſe defunctam, ut aves ad ſe, tanquam ad cadaver accedentes interciperet, luto oblita in quodam agro re-

resupina jacebat, expectans cornices, corvos, & hujusmodi rapaces volucres, quas devoraret; cum superveniens canis, eam mordicus captam cœpit dentibus lacerare; quod illa animadvertens, digna, inquit, patior. Nam dum fraudibus aves capere studeo, ab alio ipsa capta sum.

Fabula indicat, qui aliis insidias moliuntur, moleste ferre non debere, quod ipsi quoque ab aliis capiantur.

DE URSO. 142

URsus, dum forte cum uxore rixaretur, oculum illi eruit. Sed postea pœnitens tanto dolore affectus est, ut ungues sibi mordicus præcideret. Deinde, cum inter loquendum diceret, præ suo in ursam amore se propriis armis exuisse: quid, inquit uxor, istud luscæ mihi nunc prodest? Antequam oculum mihi erueres, istud faciendum fuit.

Fabula indicat, post illatas injurias seram esse pænitentiam, cum facta infecta fieri non possint.

DE CANE ET PATREFAMILIAS. 143

PAterfamilias oblitus haram, in qua gallinæ pernoctabant, claudere, cum mane surrexisset, reperit omnes a vulpe occisas & ablatas esse. Indignatus itaque in canem, tamquam malum rerum suarum cu-

ſtodem multis illum afficiebat plagis. Cui ille, ſi tu, inquit, cui gallinæ ova & pullos pariebant, in occludendo oſtio negligens fuiſti, quid mirum, ſi egó alto ſopore oppreſſus vulpem venientem non ſenſi, qui nulla ex illis emolumenta percipiebam?

Fabula indicat, haud unquam ſperandum diligentem fore familiam, cujus paterfamilias negligens fuerit.

DE HERO ET SERVO. 144

SErvus cujuſdam agricolæ aſinum domini ſui ex alta rupe præcipitem dedit, ne quotidie huc & illuc illum agere cogeretur, mentituſque eſt domino, illum ſponte ſua ſe dejeciſſe. Ob hoc dominus ſervum compellebat humeris ſuis omnia ferre, quæ antea aſinus portabat. Quod ſervus nequam animadvertens, male, inquit, mihi conſului, cum innocentem conſervum meum peremi, qui me tanto labore levabat; juſte nunc plector.

Fabula indicat, inſipientes, dum a ſe mala amoliri volunt, ſæpe incidere in graviora.

DE AGRICOLA SENE. 145

VIr decrepitæ ſenectutis irridebatur a juvene quodam, ut delirus, quod arbores inſereret, quarum non eſſet poma viſurus. Cui ſenex, nec tu, inquit, ex iis, quas nunc inſerere putas, fructus fortaſſe de-

decerpes: Nec mora: Juvenis ex arbore, quam ſurculos decerpturus aſcenderat, ruens, collum fregit.

Fabula indicat, mortem omni ætati eſſe communem.

DE LEONE ET VULPE. 146

LEo comprehenſus laqueo totis viribus vincula dirumpere conabatur: quo autem majori conatu laqueum trahebat, eo arctius detinebatur. Vulpes illuc iter habens cum hoc eſſet intuita, non viribus, inquit, mi rex iſtinc evades, ſed ingenio; relaxandus enim laqueus, & diſſolvendus, non trahendus eſt. Quod cum leo feciſſet, ſtatim ſoluto laqueo, quo erat aſtrictus, liber evaſit.

Fabula indicat, ingenium viribus longo eſſe præſtantius.

DE PHILOSOPHO CYNICO. 147

PHiloſophus Cynicæ ſectæ in jurgio colapho percuſſus non ſolum commotus non eſt, verum etiam percuſſorem argenteo nummo donavit. Quod cum omnes, qui aderant, admirarentur, dicerentque dignum iterum cædi: neſcitis, inquit, nunc quid egerim; ſcietis autem poſtea. Haud longo poſt tempore percuſſor ille volens quemdam alium cædere, ſperabat enim aliquid fortaſſe lucrari, lethale vulnus ac-

cepit. Mortem igitur sibi imminere sentiens, quanto melius, inquit, mihi fuisset colapho a Cynico repercuti, quam nummo etiam aureo donari.

Fabula indicat, delinquentibus impunitatem peccandi potius, quam panam interdum nocuisse.

DE OVE. 148

OVis comprehensa a cane gregis custode maximos edebat ejulatus; capta autem a lupo nullam emittebat vocem. Interrogata a pastore, cur ita faceret: molestius, inquit, mihi est, a cane, qui mihi custos & amicus esse debet, lædi, quam a lupo, quem natura perpetuum mihi genuit inimicum.

Fabula indicat, graviores nobis domesticorum quam externorum esse injurias.

DE MURIBUS. 149

MUres in unum convenientes consultabant, quo ingenio, quave arte felis insidias possent evitare. Tunc qui cæteros & ætate, & rerum usu anteibat, reperi, inquit, viam, quæ nos a tantis periculis incolumes conservabit, si mihi parere volueritis. Suspendamus collo ejus tintinnabulum, cujus sonitu venientem adversus nos felem sentire possimus. Tunc omnes voce consona sententiam illius, ut saluberri-

rimam laudaverunt; itaque faciendum esse dixerunt. Surgens autem quidam senior, imperato silentio, ego quoque, inquit, istam sententiam approbo; sed quis erit, qui collo felis tintinnabulum suspendere audeat? cum autem omnes hanc provinciam subterfugerent, irrita sententia fuit.

Fabula indicat, multos, quæ facienda sunt, laudare, sed, qui ea facere velint, paucos reperiri.

DE PUERO DISCERE NOLENTE. 150

PUer osor litterarum in ludum litterarium a patre deductus, nullis magistri blanditiis induci poterat, ut primam alphabeti proferret litteram. Tum præceptor, aperi os, inquit, ut hujus litteræ exigit enunciatio. Ille vero hiabat, sed absque voce. Præceptor videns laborem suum irritum (neque enim puerulum verberandum censebat) jubet, eum inter condiscipulos sedere; eos monens, ut illi persuadeant, unam, vel primam saltem litteram efferre. Tum condiscipuli pro virili quisque eum hortabantur dicentes: est ne tantus labor *A* dicere? at puer versutus, non est, inquit, arduum dicere *A*: Sed si *A* dicerem, vellet, ut *B* dicerem & cætera. Non erit ea vis præceptori, patrique, ut ad discendum me impellere valeant.

Fabula indicat, nolentes discere a nemine posse compelli.

DE

DE AVARO ET FORTUNA. 151

VIr quidam avaritiæ deditus, cum audiret, nihil mercatura esse lucrosius, divenditis paternis bonis, navigare cœpit, prosperaque usus fortuna, brevi maximas divitias congregavit: interrogatus autem ab amico, quomodo tam parvo temporis curriculo tot opes coacervasset: mea, inquit, industria. Sed cum, non contentus tot ac tantis, quas paraverat, divitiis, ditior navigatione fieri vellet, bis, terque naufragio facto amissis opibus, ad summam inopiam redactus est. Qui deinde interrogatus, quid eum paulo ante tantis rerum omnium copiis affluentem ad tantam paupertatem redegisset: fortuna, respondit. Quod fortuna audiens vehementer indoluit, ingratum eum appellans, qui bonorum se caussam, malorum vero volebat esse fortunam.

Fabula indicat, improbe eos facere, qui felicitatis caussam suæ industriæ, adversitatis autem fortunæ adscribunt.

DE PORCIS DUOBUS. 152

POrci duo erant cuidam bubulco, tam immortale inter se odium & perpetuas inimicitias habentes, ut quotidie sese dentibus lacerarent. Cum autem dominus unū ex eis occidere pararet, alter incredibili afficiebatur lætitia, videns inimico suo jamjam-

jam esse moriendum. Paucis autem post diebus, cum ipse quoque ad necem traheretur, sese affligebat, dicens: heu me infelicem! cur inimici mei cæde lætatus sum, quem tam cito eram eodem exitu secuturus?

Fabula indicat, neminem debere ne inimici quidem morte lætari, cum exploratum sit cunctis esse moriendum.

DE LUPO SENE. 153

Lupus senio confectus cum amplius venari non posset, magna cruciabatur fame, nec aliquem cognatum aut amicum, qui eum cibo juvaret, poterat invenire. Dum ergo mœstus ingentem peragraret silvam, in bovis cadaver incidit, quod vix cœperat laniare, cum non solum cæteri lupi, sed etiam vultures, corvi, & cornices illuc se contulerant, lupum orantes, ut se in amicitiam, & in partem prædæ admitteret. Tunc secum lupus: quem paulo ante fratres & filii negligebant, ecce alienigenæ animantes nunc honore prosequuntur, & amicum expetunt. Non mihi, sed bovi hunc exhibent honorem.

Fabula indicat, pauperem cunctis odiosum esse, divitibus vero ab omnibus honorem exhiberi.

DE

DE PORCELLO. 154

PОrcellus mortem parentum ingenti clamore deflebat; sed cum lectis testamenti tabulis, magnum glandis acervum, multosque farinæ modios sibi relictos cognovisset, obticuit. Rogatus, cur non amplius fleret, farina, inquit, & glandes os mihi occluserunt.

Fabula indicat, amplas hæreditates hæredum dolori facile finem imponere.

DE ACCIPITRE ET MILVO. 155

MIlvus cum accipitre apud aquilam de præstantia certabat, dicens: ob corporis magnitudinem sese illi præferendum. Contra accipiter, non staturam, sed vires spectari oportere, dicebat. Tunc aquila, ite, ait, venatum, & uter vestrum dignorem mihi attulerit prædam, eum præstantiorem judicabo. Cum autem milvus exiguum murem, accipiter vero columbam asportasset, inquit aquila: Quanto columba major est mure, tanto accipitrem præstantiorem esse pronuncio.

Fabula indicat, ex operum, non corporum magnitudine homines metiendos.

DE INSANO. 156

INsanus quidam urbes peragrans alta voce clamabat, sapientiam se habere venalem. Cuidam autem oblato argento eam petenti colaphum incussit, longumque filum de-

dedit, dicens, eris ſapiens, ſi quouſque hoc filum protenditur, ab inſanis & furioſis abſtueris.

Fabula indicat, nullum cum inſanis habendum eſſe commercium.

DE MULIERE ET VIRO. 157

Mulier quædam a viro multis verberibus affecta, ſe mortuam ſimulabat, quo marito timorem incuteret: retento enim anhelitu, immobilis reſupina jacebat. Vir ſagax, & mulieris fraudum non ignarus, beſtia, inquit, mortua pelle nudanda eſt: arreptoque cultro, a pedibus pellem diripere cœpit. Uxor ſentiens quorſum ſua tenderat ſimulatio, pedem retrahens, illico reſurrexit.

Fabula indicat, quod viro prudenti fruſtra muliebres tenduntur inſidiæ.

DE MALO ET OLEA. 158

Malus arbor oleam irridebat, quod exiguas procreaſſet baccas, cum ipſa ingentia, & quæ vix ſui rami ferrent, mala produxiſſet. Sed vehementi exorto vento, cum pomorum onere, tum vi turbinis, & poma fere cuncta ceciderunt, & rami confracti ſunt: olea autem illæſa permanſit. Tunc ſecum malus, quanto, inquit, melius mihi fuiſſet minores fœtus edidiſſe?

Fa-

Fabula indicat, nos debere modicis rebus esse contentos, cum amplæ opes, & nimiæ divitiæ sine ingenti periculo nequeant possideri.

DE AVARO. 159

VIr avarus plurima pulcherrimaque poma collegerat, qualia in hortis Alcinoi, & Hesperidum fuisse poetæ fabulantur, quibus ita parcebat, ut nisi corrumpi inciperent, esse non auderet. Hujus filius oppido liberalis sodales suos ad pomaria sæpe ducebat, dicens: accipite ex his quæ vultis omnia, præter marcescentia: illa enim pater meus in secunda mensa semper sibi jubet afferri. Huic præcepto illi lubenter obtemperabant.

Fabula indicat, homine avaro nihil esse miserius, qui aliis custodit, quæ ei Deus fruenda concessit.

DE MILITE ET PAVONE. 160

PAvo apud militem, qui galeam multis struthionis pennis ornaverat, gloriabatur, se multo pulchriores pennas habere, utque id verum esse approbaret, caudam in gyrum explicuit: Miles illarum pulchritudine illectus avem capiens, eam tanto privavit ornatu, conumque galeæ insignivit. Tunc secum pavo, me miserum & stultum, inquit, qui tam pretiosas res raptori ostendi, quas occultare debebam.

Fu-

Fabula indicat, pretiosarum rerum ostentatione multos ad rapinas concitari.

DE FILIO ET PATRE SENE. 161

VIr quidam decrepitæ senectutis, domo ejectus a filio, in xenodochio degebat. Conspicatus autem filium illac iter habentem, eum rogavit, ut saltem duo lintea ex rebus suis, quas tanto sudore paraverat, sibi mitteret: qui tandem paternis precibus motus imperat filio suo puerulo, ut expetita ad avum lintea ferret. Puer sagax, & tali dignus patre, unum tantum tulit. Increpitus autem a parente, quod non duo, ut jussus erat, attulisset, ego servo, inquit, alterum tibi, ut, cum decrepitus in xenodochio deges, illud tibi mittam.

Fabula indicat, qua mente in parentes sumus, eadem liberos nostros in nos futuros.

DE BOVE CORNUA PETENTE. 162

BOs ægre ferebat vires inermes sibi a natura datas, quoniam armis carebat, quæ viribus potiora putabat. Rogavit ergo Jovem, ut sibi cornua concedere dignaretur. Quod cum impetrasset, statim voti sui eum cœpit pœnitere. Nam cum inermis liber esset, a nemineque capi posset, natis cornibus laqueo comprehensus ad arandum ducebatur, & immensos labores subire cogebatur.

Fa-

Fabula indicat, nihil a Deo petendum, nisi quod ille nobis profuturum intelligit.

DE MERULA ET MILVO. 163

MErula suspiciens milvum magno ambitu aera circinantē, ingentesque ejulatus edentem, vehementer conterrita est. Cui turdus, ne trepida soror, inquit; tantos pugnæ apparatus, totque minas in exiguum murem, aut in pullum gallinaceum tandem effundet. Cavendum nobis est ab accipitre, cujus prius ungues, quam vocem sentire solemus.

Fabula indicat, magis quietos ac tacitos homines, quam minaces & verbosos extimescendos.

DE LEONE ET LUPO. 164

LUpus & leo contracta inter se amicitia victum quæritabant: cum lupus, audito ovium balatu, confide, inquit, amice, cibus jam aderit. Secutus ergo ovium vocem, cum ad ovile pervenisset, reperit illud optime munitum, & canes prope dormientes. Reversus igitur ad leonem, non placet, inquit, mihi, quod in præsentia edamus oves, macilentæ enim admodum sunt; sinamus eas pinguescere,redituri, cum fuerint pingues effectæ.

DE

DE GALLO ET VULPE. 165

VUlpes laqueis rustici, cujus plurimas gallinas occiderat, capta rogavit gallum, a quo solo visa fuerat, ut aut cultellum, quo laqueum scinderet, sibi afferret; aut hero nihil diceret, quoad dentibus laqueum abrupisset. Gallus utrumque pollicitus, dominum propere adiens, narrat, vulpem casse detineri: quem clava armatum ad se perdendam venientem vulpes conspicata, infelix, inquit, & stulta ego, quæ credidi, gallum mihi fidum fore, cujus tot gallinas occideram.

Fabula indicat, iis, quos insigniter læsimus, nunquam fidendum.

DE APRO ET ASINO. 166

APer asinum ad certamen provocans sperabat, se victorem fore, quod longiores acutioresque sibi, quam adversario dentes essent. Sed cum asino propinquasset, ferratis pedibus percussus, cecidit semimortuus. Paulo post ad se reversus, non istinc me lædi, inquit, credebam.

Fabula indicat, virum prudentem omnia explorare debere, unde ab adversario possit offendi.

DE CUCURBITA ET OLEA. 167

OLea admirabatur cucurbitam juxta se natam brevi tantum crevisse, ut se esset

ſet longe altior, quæ annos quam plurimos fuerat in eodem loco. Sed cum adventante hieme cucurbita exaruiſſet, minime, inquit olea, cito creſcentibus eſt invidendum, quibus tam citus eſt paratus interitus.

Fabula indicat, nimium feſtinata non eſſe diuturna.

DE AVARO. 168

VIr quidam avarus, qui ingentem aureorum acervum male partum relicturus, moriebatur, interrogabat ſacculum nummorum, quem morienti ſibi juſſerat efferri, quibus voluptatem eſſet allaturus. Cui ſacculus, hæredibus, inquit, tuis, qui nummos a te tanto ſudore quæſitos in ludis & conviviis profundent, & dæmonibus, qui animam tuam æternis ſuppliciis mancipabunt.

Hæc indicat fabula, ſtultiſſimum eſſe in his laborare, quæ aliis gaudium, nobis autem ſint allatura tormentum.

F I N I S.

IN-

INDEX FABULARUM

Numerus denotat Fabulam.

Ca-

FINIS.